SYNODUS
DIÆCESANA SORANA
1828.

SYNODUS
DIŒCESANA SORANA

AB ILLUSTRISS. ET REVERENDISS. DOMINO

D. ANDREA LUCIBELLO

DEI, ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA EJUSDEM SANCTÆ ECCLESIÆ,
NEC NON AQUINI, ET PONTISCURVI ÆQUE PRINCIPALITER
INVICEM UNITARUM ANTISTITE, PRÆLATO DOMESTICO,
ET PONTIFICIO SOLIO ASSISTENTE, EIDEMQUE
SANCTÆ SEDI IMMEDIATE SUBJECTO HABITA

In Cathedrali Ecclesia Dominica Pentecostes, die nempe
25. Mensis Maii, et sequenti Feria secunda ac quarta
A. D. 1828.



NEAPOLI MDCCCXXIX.

Ex Typographia Angeli Coda.

INDEX

De

SESSIO II.

SESSIO III.

De

EDICTUM

PRO

SYNODI CONVOCATIONE

ANDREAS LUCIBELLO

DEI, ET APOSTOLICÆ, SEDIS GRATIA EPISCOPUS SORANUS etc. etc.
PRÆLATUS DOMESTICUS AC PONTIFICIO SOLIO ASSISTENS,
EIDEMQUE SANCTÆ SEDI IMMEDIATE SUBJECTUS.

Quando è diversis locis hujus nostræ Soranæ Diœcesis, visitatione peracta, discedebamus, necessitatem convocandi Diœcesanam Synodum longo ævo prætermissam animo volvere cogebamur. Eædem temporum vicissitudines quæ huic nostro restiterunt desiderio, magis magisque ad tantum Nos impulerunt aggrediendum opus. Tandem, divina favente benignitate, utentes facultatibus quibus Sacrorum Canonum provvidentia fruimur, quarumque libe-

rum exercitium nostro muneri nec non tribuitur vigore ultimæ conventionis initæ inter PIUM VII. fel. record. ac pientissimum FERDINANDUM I. cl. mem. (1), optatam a Nobis, bonisque omnibus decrevimus congregare Synodum, quam in hac nostra Cathedrali in Epiphania Domini cum festa mobilia pro currenti anno decantarentur populo prænunciavimus. Die igitur sancta Pentecostes recurrenti, quæ erit vigesima quinta hujus Mensis Maii, inchoabitur Synodus in hacmet Cathedrali Ecclesia, cui ipsum Capitulum interesse debet, et ad quam Parochi omnes, omnesque de beneficio Ecclesiastico provisi accedere tenentur. Insuper ex pervetusta hujus Diœcesis consuetudine, non minus quam ex eo quod de vita et honestate Clericorum plura in eadem Synodo statuenda sunt quæ universum tangunt Clerum; ideo Presbyteri, Clericique omnes ad eam convenire et ipsi debent (2).

Quanto magis autem Ecclesiasticorum universus ordo, ac præsertim Parochorum cœtus, divinæ gloriæ, animarumque salutis zelo premitur, tanto magis eos in Domino eni-

(1) *Art. XX.*

(2) *Sac. Cong. Conc. in Eugubina 12. Augusti 1650. apud Crisp. de Visit. p. 3. §. 18. N. 4. et Monacel. loc. cit. N. 3.*

enixe monemus atque exhortamur, ut si quid per proximam Synodum ad fidelium utilitatem reparandum putaverint, Nobis, vel nostro Pro-Vicario Generali aperire non differant, ut spiritalia mala spiritalibus castigata remediis invalescere non presumant.

Magnum Divini Spiritus lumen Nobis, sociisque ministerii nostri in tanto opere humiliter est expetendum. Populum ideo moneant Parochi ut devotas pro hac re fundant ad Deum præces, nec Sacerdotes in sacrosancta Missæ actione supernam pro Nobis opem ab Eo qui bonorum omnium est dator et auctor implorare prætermittant. A die autem in qua præsens innotescet convocatio mandamus apponi in Missa, cæterisque Ecclesiasticis functionibus Oratio de Spiritu Sancto, eodem modo quo nostræ Cathedrali Ecclesiæ, omnibusque tam Civitatis, quam Diœcesis Parochialibus Ecclesiis, Missam celebrare de Spiritu Sancto præcipimus, nisi ratione ritus diei impediatur. In quorum fidem omnium has Literas manu nostra subscriptas, sigilloque munitas promulgari, ac valvis nostræ Cathedralis, et Collegiatarum, ac Parochialium Ecclesiarum, aliisque locis consuetis affigi, et affixas remanere jussimus, talemque volumus habere vigorem, ac si forent suprascriptorum cuique personaliter denunciatæ. Datum Soræ ex

 no-

nostro Episcopali Palatio die quinta Mensis Maii, Anno Domini 1828. Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris et Domini Nostri Leonis Divina Providentia anno quinto, Præsulatus vero nostri anno decimo.

ANDREAS EPISCOPUS SORANUS etc. etc.

✠ Loco sigilli

Thomas Benef. Lanna Synodi Secretarius.

INSTRUCTIONES IN SYNODO
SERVANDÆ.

Ut ad Synodum, quam *divino aspirante favore* celebraturi sumus in proximo Pentecostes, unusquisque instructior accedat, paucis adjectis, vel resecatis, ea renovare credimus quæ Prædecessor Noster Matheus Gagliani edidit pro recto ordine Synodi ab ipso celebratæ, quam honoris causa nominare non dubitamus.

Nemo ex iis qui Synodo interesse debet alium pro se mittat specialem Nuncium, aut Procuratorem, nisi nostram docuerit Episcopalem Curiam de legitima qua detinetur causa.

Accedant omnes, qui interesse debent, cum Vestibus talaribus, et Biretis, ac superpelliceis mundis. Prima Synodi die singuli ad Aulam Palatii nostri accedant, ut eorum comitatu præcedente, Canonicis vero nostræ Cathedralis subsequentibus, ad Ecclesiam descendamus: quod in regressu ab eadem Ecclesia, postrema sessione completa, pariter fiet.

Qui

BREVIS ALLOQUTIO PASTORALIS

HABITA

AB ILLUSTRISSIMO, ET REVERENDISSIMO DOMINO

IN

SYNODO INCHOANDA.

Venerabiles Fratres,
et Filii dilectissimi.

Ex quo, licet immerentes, ad hanc regendam Ecclesiam, divina Provvidentia, missi sumus nullum transegimus temporis momentum, quin diem expectaremus, qua in *conventu magno Sacerdotum*, *et populi* (1) ea pertractaremus quæ ad disciplinam clericalem vel reparandam, vel augendam, et ad Laicorum purgandos mores apta in Domino dignosceremus. Quænam autem opportuniori consilio pro tanto negotio nisi hodierna dies in anni circulo designari poterat? Dies enim hæc est, in qua, testante Petro Apostolorum Principe, impleta fuit Joelis prophetia: *Effundam de spiritu meo super omnem carnem: et prophetabunt filii vestri, et filiæ vestræ: et juvenes vestri visiones videbunt, et seniores vestri somnia somniabunt: . . . . . et dabo prodigia in Cælo sursum, et singna in terra deorsum . . . . . . Et erit: omnis quicumque invocaverit nomen Domini salvus erit* (2). Quod si fuit super omnem carnem Spiritus Domini effusus; vi-

(1) Machab. *Cap. XIV. v. 28.*

(2) Acta Apost. *Cap. II.*

quanto magis super Nos, ac super vos ministerii nostri collaboratores effundendus erit, si de Eo accipere quod et Ovibus nostris annuntiare satagimus? Quod si prodigia, et signa data sunt visibilia in Cœlo, et in terra; quanto magis invisibilia in cordibus operata sentiemus, si caritate succensi, quæcumque præsentis Synodi curæ ad supernam gloriam dirigantur? Quod si denique salus facta fuit omnibus invocantibus nomen Domini; quanto magis salutem nostram, omniumque eorum qui dati sunt nobis per Spiritum Sanctum operabimur, si ea quæ tradimus exequi studeamus? Tanta igitur hujus diei sanctitas nos dè Cœlo obumbret, operique nostro faveat, ut quidquid prò animarum bono decernendum putabimus, sanctum quoque coram Domino inveniatur. Quænam erunt pertimescendæ tenebræ si Eo confisi qui accendit *lumen sensibus* ad illas effugandas hodie sumus intenti? Verum est, et ad laudem Omnipotentis, vestrumque honorem dicimus, quod præterita temporum pernicies non adeo in Sorana invaluit Diœcesi, ut lux illa, virtute, miraculis, et sanguine Beatæ Restitutæ Principalis Patronæ, cælitus invecta, maculata videretur. Quinimo quiete temporum sequta, eodem modo quo, tumescentibus fluctibus, ad Redemptoris nutum facta fuit in mari tranquillitas magna, de nostris fi-

filiis per JESUM, dicere potuimus : *Et hi omnes testimonio fidei probati inventi sunt in Christo Jesu Domino nostro*. Sed quoniam *sumus homines mortales*, *fragiles*, *infirmi*, *lutea vasa portantes*, *quae faciunt invicem angustias* (1) nemo est qui tanta justitia, aut sanctitate prestet, ut majori justitia ac sanctitate non indigeat. Hinc in Apocalypsi legimus; *Qui justus est justificetur adhuc : et sanctus sanctificetur adhuc* (2). Accedit insuper, quod funestæ opiniones eorum qui ad fabulas convertebantur, etsi potius audivimus, quam inter nos grassari spectavimus; attamen pestilentiores halitus ab eis emissi, sicut *ventus urens* (3), impediri a nemine potuerunt. Ne igitur hujus venti injuria non ad purgandum, sed ad extirpandum, et evertendum desevientis, exiccationis periculum Christi ager timere possit, salutaribus instructionibus, monitisque rigare necessario duximus. Sed ait Apostolus; *Neque qui plantat est aliquid*, *neque qui rigat*; *sed qui incrementum dat*, *Deus* (4). Adveniat ergo Spiritus Sanctus de Cœlo; et

---


(1) S. August. Epis. *Serm. 10. de Verbis Domini*.

(2) Cap. *XXII. v. 11.*

(3) Jer. *Cap. IV. v. 11.*

(4) *1.* ad Corinth. *Cap. III. v. 7.*

repleat totam domum ubi sumus sedentes, quoniam sine ejus Numine nihil est sanctum, nihil est in nobis. Una sit omnium mens; una sit comunis oratio, ut per Spiritum Paraclytum loto quod sordidum est, rigato quod aridum, sanato quod saucium, præsens consumetur opus, ipso adjuvante qui cum Patre et Filio regnat in sæcula sæculorum. Amen.



ORATIO

HABITA A REVERENDISS.

D. ANTONIO JUCCI

CANONICO CATHEDRALIS SORANÆ

IN SYNODO DIMITTENDA.

Omnipotenti bonorum omnium largitori Deo omnes gratias agere primum decet, et majores etiam habere quod perspicuum, in Synodo nostra Diœcesana feliciter acta, bonitatis suæ erga nos contulerit argumentum. Etenim (1) cum omne donum perfectum de sursum sit, et nullum detur charius donum hominibus quam leges, atque inter varia legum genera illæ præstatiores sint habendæ quæ Religionem spectant, profecto quid melius unquam elargiri nobis potuit quam constitutiones ad Fidei integritatem enutriendam, ad rectam Sacramentorum administrationem ex-

(1) Jacob *Cap. I. v. 17.*

exercendam ordinatas? Quid utilius quàm Fidelium mores ad sanioris disciplinæ normam redigere, et ad Ecclesiæ nostræ decus opportuniora providere? Id sane in hujus Synodi celebratione peractum est.

Episcopus siquidem iste amplissimus (1) a Spiritu Sancto positus regere *Soranam Ecclesiam*, et ipso spiritu repletus, nobis adstantibus statuta tulit, atque sancivit. Ipse bonus Pastor super gregem suum excubans (2) non jugum aliquod humeris nostris novum imposuit quod portare minime valeremus; neque per ardua, et invia nos obstruxit, sed lenitate gratiæ, et spiritu caritatis præditus in virentibus pabulorum dirigit, atque saginat. Revera quæ jamdudum statuta, potius amantissimi Pastoris nostri monitiones, quam Legislatoris imperantis præcepta sunt; eaque fere omnia ex Scriptura, ex Patribus, Conciliis Generalibus, Apostolicisque statutis, et ex Decessorum suorum Synodis decerpta, sapienterque rationibus, et statui hujus nostræ Dioceseos accommodata, intelligere facile po-

(1) Act. Apost. *Cap. XX. v. 28.*
(2) Ezech. *Cap. XL. v. 46.*

potuistis. Talis decebat ut nobis esset Pontifex (1), qui in firmando vitæ nostræ rationes promptos paratosque nos invenire minime dubitaverit.

Sed quoniam constitutionum etsi optimarum utilitas certe nulla est, nisi, quod sancitur, reipsa efficiatur, hinc patet quantum momenti, et ponderis in exequtionis munere positum sit, et quanto studio curare debemus ne salutaria hæc omnia suo optato frustentur effectu. Nobis dictum est non esse auditores tantum, sed factores verbi (2), adeoque ita ambulemus ut aliis præbeamus exemplum quomodo oportet ambulare, et placere Deo (3).

Fideliter ergo primum custodiendum et præferendum in nobismetipsis verbum Dei hisce constitutionibus enuntiatum, quod cum vim depromat suam ab ipso Dei spiritu, et per se lucidum sit, et illuminans oculos (4), neque infractione, aut relaxatione, neque, pro arbitratu nostro, interpretatione attractare, aut imminuere fas erit.

c Non

(1) Hæbr. *Cap. VII. v. 26.*

(2) Jacob *Cap. I. v. 22.*

(3) *1.* Thessal. *Cap. II. v. 12.*

(4) Psal. *XVIII. v. 9.*

Non vero hæc a me dicta quispiam existimet quo mihi veniat in dubium eximia fides vestra, et costantia. Quotquot enim hic sunt præclari Ministri Sanctuarii nostri, maxima omni tempore dederant documenta, quam contemnerant insanias falsas, et ea scientia et honestate pollent ut de præstantia gregis ipsa gloriatur cura Pastoris.

At sedulo satagere etiam debemus, ut quod audivimus, ut quod manus nostræ contractaverunt (1) aliis annuntiemus prædicemusque, et Fidelium mentes ad spiritualium rerum cognitionem erigantur. Tuba Sacerdotes clangant (2), et omnis Populus audiat, ut sit terra cordis et labii unius (3), et idipsum omnes sapiant, atque observent.

Vos præsertim in pastorali cura adjutores amplissimi, quibus Jesus Christus oves, suo sanguine emptas, pascendas concredidit, vos toto studio hujus Synodi constitutiones in Populis excolere, edocere, et firmare oportet.

Ju-

(1) Joan. *Cap. I. v. 1.*

(2) *1.* Esdr. *Cap. III. v. 3.*

(3) Genes. *Cap. XI. v. 1.*

Jura enim humana simul ac divina ad id adigunt, et unanimiter conclamant. Clamat et ipsa vox Redemptoris nostri, qui ideo vocavit, instruxit, et misit Discipulos ut prædicationis munus in Gentibus exercerent (1). Adstringunt nos testimonio sempiterno juramenta illa in ipsius dignitatis susceptione ante Altare Dei sancita, per quæ laboriosam istam misteriorum Dei dispensationem cum status honore conjunximus. Postulat id a nobis cum spiritualis populorum progressus et sanctificatio ad quam præcipua hujus Synodi ratio dirigitur, tum temporale eorum commodum ac securitas. Compertum est enim experientia illic pacem civiumque concordiam suas optatas figere sedes, ubi et immaculata Christi Religio viget, et ea complentur, quæ a Pastoribus enuntiantur; quippe naturæ, societatis, ac Religionis leges non differunt inter se neque pugnat; quinnimo alia aliam firmat atque consecrat, et ipse Dei filius nostra indutus mortalitate non legem solvere, sed adimplere venisse plane testatur (2).

 Ex-

(1) Marc. *Cap. III. v. 14.*
(2) Matth. *Cap. V. v. 5.*

Excitant nos denique atque inflammant exempla, monumenta, cineres, immagines. ipsæ quos colimus fortissimorum virorum, qui ad paternas Christi leges disseminandas in gentibus atque firmandas parvi esse duxerunt omnes cruciatus corporis, omnia exilii, et ipsius mortis pericula.

Quod si illi tales fuerunt quando inter horribiles quidem, sed numquam prævalentes turbinum impetus Religio quatiebatur, quomodo nunc labor exultare debet et zelus noster cum pulsis nimbis ac profligatis, sereno Cœlo conspirantibus undique ventorum flatibus, triumphans emergit et stat. Certe nunc prima regnorum gloria veritas est Fidei, et illi adhærere Pontifici vere maximo, in quo et fidei unitas, et potestas prima, et virtutum omnium plenitudo corruscat. Noster precipue Rex augustissimus qui cum jure majestatis pietatem adequat et vocem et exempla, et jura, et facta ad id consecrat ut in subditorum cordibus Religionis spiritus foveatur, atque roboretur.

Quare adeste animis, fratres charissimi, et libenter induimini fortitudine vestra (1), et strenue surgite pro-
pe-

(1) Is. Cap. II. v. 1.

perantes in agro Domini (1) . Videte regiones vestras quæ albæ sunt, jam sunt ad messem (2), et parvuli vestri petiunt panem (3). Sit Synodus hæc docibilibus Dei (4) panis non solum sed et favum mellis, ut fiat refectio eorum ad vitam, et robur accrescens ad virtutem. Sit ipsamet in manu vestra contra improbos gladium sanctum, munus a Deo (5), in quo dejiciantur scandala, spinæ evellantur, errores et idola penitus conterantur (6). Sic terra nostra verbi divini, et charismatum rore nutrita alatur, et pubescat in odore agri pleni (7), et populus filius decoris Domini (8) sit gaudium et corona nostra in Jesu Christo, cui est honor, et gloria per sæcula. Amen.

DE-

(1) Matth. *Cap. XIII. v. 14.*
(2) Joann. *Cap. IV. v. 35.*
(3) Matth. *Cap. VII. v. 9.*
(4) Joan. *Cap. VI. v. 45.*
(5) Macch. *Cap. XXV. c 26.*
(6) Is. *Cap. II. v. 16.*
(7) Gen. *Cap. XXVII. v. 27.*
(8) Jer. *Cap. II. v. 15.*

DECRETA PRAELIMINARIA.

DECRETUM I.

De Synodi inchoatione.

IN NOMINE SANCTISSIMÆ, AC INDIVIDUÆ TRINITATIS PATRIS, ET FILII, ET SPIRITUS SANCTI.

Nos ANDREAS LUCIBELLO Dei et Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Soræ, Aquini, et Pontiscurvi, Santissimi Domini Nostri Leonis Papæ XII. Prælatus Domesticus, ac Pontificio Solio Assistens, eidemque Sanctæ Sedi immediate Subjectus, ad laudem, et gloriam Omnipotentis Dei, Beatissimæ Virginis Mariæ in Cœlum Assumptæ Titularis hujus nostræ Sanctæ Cathedralis Ecclesiæ, Beatæ Restitutæ Civitatis ac Diœcesis præcipuæ Patronæ, ac Beatorum Juliani, Dominici, aliorumque minus principalium Patronorum, primam hanc Diœcesanam

nam incipimus Synodum, inceptamque declaramus. Sanctorum suorum præcibus, votisque nostris exoratus, dignetur Omnipotens Deus ut ea quæ sunt agenda, videamus, et unusquisque nostrum adimplere quæ viderit convalescat.

DECRETUM II.

De præjudicio non inferendo.

Si quem in hac Synodo contigerit præter, aut contra conditionem suæ dignitatis, gradus, vel muneris incedere, stare, sedere, vocari, aut quid aliud peragere, nemini propterea illatum præjudicium ullum, aut novum jus acquisitum fuisse decernimus, sed omnia in eo statu firma remanere volumus, in quo erant, priusquam hæc Diœcesana Synodus cogeretur.

DE-

DECRETUM III.

De non discendendo.

Nemo de Clero huic Synodo præsens, sub pœna suspensionis, aut excommunicationis audeat sessionibus, actionibus, et conventionibus non interesse; ac multo minus e Civitate discedere, quin Synodus, legitime dimissa fuerit. Quod si urgens necessitas exigat aliquem vel a Sessionibus, vel a Civitate abesse, facultatem impetret a nostro Pro-Vicario Generali, spectata causa concedendam.

DECRETUM IV.

De pubblica Oratione.

Oratio, quæ sine intermissione a Fidelibus facienda est, maxime in hoc Synodali conventu *ad Deum dirigatur, sicut incensum in conspectu suo*, orantes præsertim omnes pro Santissimo Domino Nostro Papa

Leone XII., pro Serenissimo Rege Nostro Francisco, ac Maria Elisabeth Regina Nostra cum Regia Familia, pro constanti perpetuoque Cleri, Populique hujus Diœcesis profectu, ac salutari hujus Synodi successu.

DECRETUM V.

De Synodi Officialibus.

Ut in præsenti Synodo omnia suo ordine dirigantur, demandata prius disciplinæ præfectura J. U. D. D. Josepho Annonii Canonico Theologo hujus Sanctæ Soranæ Ecclesiæ, nostroque Pro-Vicario Generali, sequentes inde statuimus Officiales.

Promotor Reverendissimus D. Ignatius Carnevale J. U. D., et Canonicus hujus Cathedralis Ecclesiæ.

Theo-

Theologi Illustrissimi, ac Reverendissimi Domini.

Reverendissimus D. Paschalis Baldassarre S. T. P., et Canonicus Pœnitentiarius hujus Cathedralis Ecclesiæ.

Rev. Sacerdos D. Stephanus Baldassare hujus Civitatis.

Magistri Cærimoniarum.

Rev. D. Dominicus Alonzi Beneficiatus hujus Cathedralis Ecclesiæ Illustrissimi, et Reverendissimi Domini ordinarius Cœremoniarum Magister.

Rev. D. Petrus Alberici Canonicus Insignis Collegiatæ, et Parochialis Ecclesiæ S. Bartholomæi hujusmet Civitatis Cœremoniarum Magister pro Clero.

Secretarius Rev. Sacerdos D. Thomas Lanna Beneficiatus Insignis Collegiatæ, et Parochialis Ecclesiæ S. Restitutæ hujusmet Civitatis.

Notarius Rev. Subdiaconus D. Raphael Fortuna Beneficiatus hujusmet Cathedralis Ecclesiæ Pro-Cancellarius Episcopalis.

DECRETUM VI.

De Fide profitenda, necnon de legendis iis, quæ pro residentia statuta reperiuntur in Sacrosancta Tridentina Synodo.

Ex Sacrosancto Tridentino Concilio Sess. XXV. de *Reform.* expresse habetur, quod omnes de Beneficio Ecclesiastico provisi, quique in Synodo convenire debent, Fidei emittant professionem in eadem Synodo quo primum celebretur. Præmissa igitur Capitis II. præfatæ Sessionis lectione, singuli ad quos spectat, flexis genibus, secreto professionem faciant præeunte in formulæ pronunciatione hujus Synodi Secretario, qua expleta, omnes in manibus nostris super Sancta Evangelia juramentum præstabunt. Post hæc eidem Sacrosancto Æcumenico Tridentino Concilio inhærentes, legendæ erunt Constitutiones de Residentia, quæ habentur Sessione XXIII. de *Reform.* Capite 1. necnon Sess. VI. de *Reform.* Capite 1.

DE-

DECRETUM VII.

De Examinatoribus, ac Judicibus Synodalibus.

Præcipit Sacrosancta Tridentina Synodus Sess. XXIV: de *Reform.* Capite XVIII. ut Examinatores Synodales eligantur, nec non Sess. XXV. de *Reform.* Capite X. ut designetur etiam Judices Synodales, qui usque ad novam Synodi celebrationem in suo munere perseverabunt. Proponimus itaque hos Viros pietate, ac scientia præstantes, qui juramentum in manibus nostris dabunt, officium suum, quacumque humana affectione posposita, fideliter exequturi.

Examinatores Synodales.

1. J. U. D. Reverendiss. D. Joseph Annonii Canonicus Theologus Sanctæ Soranæ Ecclesiæ, et Pro-Vicarius Generalis.
2. Reverendiss. D. Angelus Muscella Canonicus hujus Cathedralis Ecclesiæ.
3. Reverendiss. D. Joseph M. Silvestri Canonicus hujusmet Cathedralis Ecclesiæ.

4. Reverendiss. D. Joseph Lanna Canonicus hujusmet Cathedralis Ecclesiæ, et nostri Episcopalis Seminarii Rector.

5. J. U. D. Reverendiss. D. Ignatius Carnevale Canonicus hujusmet Cathedralis Ecclesiæ.

6. Reverendiss. D. Antonius Jucci Canonicus hujusmet Cathedralis Ecclesiæ.

7. S. T. P. Reverendiss. D. Antonius Muscella Canonicus hujusmet Cathedralis Ecclesiæ.

8. S. T. P. Reverendiss. D. Paschalis Baldassarre Canonicus Pœnitentiarius Sanctæ Soranæ Ecclesiæ.

9. Rev. D. Franciscus Xaverius Lanna Præpositus Insignis Collegiatæ et Parochialis Ecclesiæ Sanctæ Restitutæ hujus Civitatis Soræ.

10. Rev. D. Basilius Fortuna Archipresbyter Insignis Collegiatæ et Parochialis Ecclesiæ S. Bartholomæi hujusmet Civitatis.

11. S. T. P. Rev. D. Franciscus Merolle Canonicus Theologus Insignis Collegiatæ, et Parochialis Ecclesiæ S. Michaelis Archangeli Civitatis Arpini.

12. Rev. D. Jacobus Morrone Canonicus ejusdem Insignis Collegiatæ et Parochialis Ecclesiæ Civitatis Arpini.

13.

13. Adm. Rev. D. Paschalis Belise Canonicus Insignis Collegiatæ, et Parochialis Ecclesiæ S. Simeonis Senis Civitatis Albeti, ac Vicarius Foraneus ejusdem loci.

14. Adm. Rev. D. Felix Spagnoli Canonicus Insignis Collegiatæ, et Parochialis Ecclesiæ Terræ Insulæ, ac Vicarius Foraneus ejusdem Terræ.

15. J. U. D. Rev. D. Lauretus Apruzzese Oppidi Gallinarii hujus nostræ Diœcesis, in Regia Studiorum Universitate Neapolitana Professor, et publicæ Instructionis Secretarius Generalis.

16. Rev. Sacerdos D. Stephanus Baldassarre hujus Civitatis Soræ.

17. Adm. Rev. D. Vincentius Bozzolini Archipresbyter ac Vicarius Foraneus Terræ Pescosolidi.

18. Rev. P. D. Petrus Ferrari Præpositus Clericorum Regularium Barnabitarum Collegii S. Caroli Civitatis Arpini.

19. Reverendiss. D. Petrus Lucibello Canonicus Archiepiscopalis Ecclesiæ Amalphitanæ.

20. Rev. P. D. Claudius M. Ripoli Sacerdos Congregationis Sanctissimi Redemptoris.

Ju-

Judices Synodales.

1. J. U. D. Reverendiss. D. Joseph Annonii Canonicus Theologus Sanctæ Soranæ Ecclesiæ, et Pro-Vicarius Generalis.
2. Reverendiss. D. Paschalis Antonius Nola Canonicus hujus Cathedralis Ecclesiæ.
3. J. U. D. Reverendiss. D. Ignatius Carnevale Canonicus hujusmet Cathedralis Ecclesiæ.
4. Reverendiss. D. Aloysius Fortuna Canonicus hujusmet Cathedralis Ecclesiæ.
5. Reverendiss. D. Antonius Jucci Canonicus hujusmet Cathedralis Ecclesiæ.
6. S. T. P. Reverendiss. D. Antonius Muscella Canonicus hujusmet Cathedralis Ecclesiæ.
7. S. T. P. Reverendiss. D. Paschalis Baldassarre Sanctæ Soranæ Ecclesiæ Canonicus Pœnitentiarius.
8. Reverendiss. D. Franciscus M. Renzi Canonicus hujusmet Cathedralis Ecclesiæ.
9. Rev. D. Franciscus Sarrecchia Canonicus Insignis Collegiatæ, et Parochialis Ecclesiæ S. Restitutæ hujus Civitatis Soræ.
10. J. U. D. Rev. D. Jacobus Castrucci Archipresbyter In-

Insignis Collegiatæ et Parochialis Ecclesiæ S. Simeonis Senis Civitatis Albeti.

11. S. T. P. Rev. D. Franciscus Villa Canonicus Insignis Collegiatæ et Parochialis Ecclesiæ S. Laurentii Terræ Insulæ.

DECRETUM VIII.

De Testibus Synodalibus.

Sacrorum Canonum leges sectantes, eligere oportet Viros probatos, ac omni fide dignos, qui in hac Diœcesi satagant quidquid correptione indigeat, ac ad Nos, vel ad nostrum Vicarium Generalem pro opportunis remediis deferendum erit; vel rogati quod sciunt significare debent. Ii ergo, ut liberius proprio muneri fungantur, inscripti extant in præsenti scheda nostro Sigillo obsignata, eorumque nomina Nobis, nostroque Pro-Vicario Generali tantummodo patent.

SESSIO PRIMA
DE FIDE.

CAPUT I.

De Fidei professione.

Sicut omnis justificationis initium fides est, ita et a Fidei professione hanc nostram auspicari Synodum necessario duximus. Fides enim lux est cœlitus nobis infusa, quæ eam in caritate sectantibus tutum in hoc caliginoso loco præstat iter, donec mortali expleto curriculo, tandem *elucescat optata dies*, *et lucifer oriatur in cordibus nostris* (1). Ut autem per hanc fidem semper Deo placere possimus, ipsam interius custodire non solum, sed etiam exterius profiteri debemus, ut in nobis adimpleatur, os confiteri ad *salutem*, quod *corde* creditur ad *justitiam* (2). Hinc ad memoriam revocantes quæ præsertim a Sacrosancta Tridentina Synodo sancita fue-

(1) 2. Petr. *Cap. I. v. 19.*
(2) Ad Rom. *Cap. X. v. 10.*

re (1), nec non a Summorum Pontificum constitutionibus, volumus quod Fidei professionem juxta formam traditam a fel. record. Pio IV. in Bulla quæ incipit: *In sacrosancta*:, vel in alia: *Injunctum Nobis*: emittere non prætermittant omnes, et singuli in sequentibus designati.

I.

Singuli promoti ad Canonicatum in Cathedrali Ecclesia Fidei professionem emittant coram Episcopo, seu ejus Officiali non solum, sed etiam in Capitulo saltem infra duos menses a die captæ possessionis, nisi observata fuerit laudabilis consuetudo eam publice emittendi in actu ipsius possessionis (2).

II.

Infra prædictum terminum professionem Fidei emittant coram Nobis, vel Vicario Generali, singuli ad be-

(1) Sess. *XXIV. de Refor. Cap. 12.*

(2) Conc. Trid. *Sess. XXIV. de Refor. Cap. 12.*

beneficia cum Animarum cura promoti, consuetudine ablata eam faciendi coram Ecclesiastico a nostra Episcopali Curia peculiariter delegato pro possessione tradenda.

III.

Concionatores omnes, licet Regulares, professionem Fidei coram Nobis emittant antequam munus prædicandi suscipiant.

IV.

Sacerdotes tam Sæculares, quam Regulares pro excipiendis Christifidelium Sacramentalibus Confessionibus approbati, nisi alias ab eis Fidei professio facta fuerit, ipsam emittant coram Nobis, vel nostro Vicario Generali, vel etiam Vicario Foraneo, a quo statim actus sequtæ professionis ad nostram Curiam trasmittendus erit.

V.

Cujuscumque scientiæ, ac liberalium disciplinarum professores, nec non cujusque literarum rudimenti Magistri tam in nostro Episcopali Seminario, quam in hac no-

nostra Civitate, ac universa Diœcesi sive Ecclesiastici sint, sive Laici, sive publice, sive private, etiamsi gratis juvenes erudiant, si non alias professionem Fidei emiserint, eam faciant coram Nobis, vel nostro Vicario Generali, vel Vicario Foraneo Loci, onerantes præsertim Parochorum conscientiam pro hujusmodi dispositionis adimplemento (1).

VI.

Quicumque beneficium Ecclesiasticum obtinens, ac in Synodo præsens, Fidei emittat professionem, nisi antea huic obligationi satisfecerit.

CAPUT II.

De Fidei institutione.

Cum justus ex Fide vivat (2) vitam hanc per rudimenta Fidei, ac per Verbi Dei prædicationem alere neces-

(1) Bulla Pii IV. quæ incipit: *In Sacrosancta*: *1564*.

(2) Ad Rom. *Cap. I. v. 17.*

cesse est. Hinc scriptum est quod *Fides ex auditu, auditus autem per Verbum Christi* (1). Itaque ne parvulorum, adultorumque obsurdescant aures, eruditionem Doctrinæ Christianæ excipiant illi, isti vero excolantur in verbo vitæ, dum ad amborum profectum, binos articulos accommodatos tradimus.

ART. I.

De Doctrina Christiana, et Chatechesi.

Modo geniti infantes lac concupiscunt ut alantur, et crescant corpore; ut alantur vero, et crescant spiritu lacte Fidei nutriantur. Ne igitur de hoc spirituali cibo dicatur in Ecclesia quod de materiali lamentabatur Jeremias supra contrictiones Jerusalem: *Parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis* (2), eo quo par est animi fervore adolescentes omnes utriusque sexus in Doctrina Christiana instructos summopere in Domino cupimus.

I.

(1) Id. *Cap. X. v. 17.*
(2) Jerem. Thren. *Cap. IV. v. 4.*

I.

Parochi, OEconomi Curati Pareciarum vacantium, Ecclesiarum Rectores, vel alii ad quos spectat, singulis diebus Dominicis, aliisque festivis, lecto in Missa Evangelio illud Populo exponant non in sublimitate, sed in simplicitate sermonis. Caventes autem omnem scurrilitatem, rationibus, et exemplis audientium animos instituant in officiis erga Deum, proximum, ac semetipsos. Communiora præsertim vitia suis verbis aggrediantur: filianos in vinculo christianæ caritatis, et pacis in unum conjungant; quodque etiam valde interest, obedientiam Romano Pontifici, Beati Petri successori debitam, ac fidelitatem serenissimo Regi nostro, ejusque Familiæ totis viribus explanare non prætermittant.

II.

Animarum curæ Rectores omnes, quacunque excusatione remota, singulis saltem diebus Dominicis, aliisque festivis (1) ad Campanæ sonum convocent pueros atque ado-

(1) Trid. *Sess. XXIV. de Reform. Cap. 4.*

adolescentes in respectivis Ecclesiis ante horas vespertinas, ut eos instruant in Fidei rudimentis. Exponant meliori quo possunt modo præcipua Fidei Mysteria: explanent Apostolici Symboli articulos ad normam Cathechismi Romani; singulas petitiones Orationis Dominicæ; Sacramentorum dignitatem ac cœlestem virtutem; quidque in præceptis Dei, et Ecclesiæ sive faciendum, sive declinandum præcipiatur,

III.

Id etiam præstent Sacerdotes omnes, qui in Ecclesiis ruralibus diebus festivis quomodocumque celebrare tenentur. Parochi vero, intra cujus Parochiæ fines prædictæ extant Ecclesiæ, satagant circa hujusmodi dispositionis adimplementum, ac de prævaricatoribus ad Nos referant, ut pœnas arbitrio nostro reservatas effugere non valeant.

IV.

Clerici omnes, unusquisque pro mensura ætatis, et idoneitatis suæ, proprios Parochos in tanto munere coadjuvent, nec ad ulteriores Ordines promovebuntur, nisi ex documento de laudabili servitio Ecclesiæ præstito ap-

f pa-

pareat præsertim eorum studium pro excolendis pueris in Doctrina Christiana.

V.

Literarum rudimentorum, vel Grammaticæ Magistri semel saltem in hebdomada Discipulos instruere in Fidei præceptis non omittant, rationem Deo, et Nobis reddituri de iis ex discipulis, qui tam salutarem et necessariam negligant disciplinam.

VI.

Parochi non admittant ad infantes in sacro fonte suscipiendos, qui in Fidei rudimentis instructi minime dignoscantur; nec admittantur ad Matrimonium nisi vel habito examine, vel certa scientia constet Parocho instructos extare in rudimentis Christifideli necessariis, eo vel magis quia inhabiles ad filiorum instructionem, ad quam tenentur, cœci essent, et duces cœcorum.

VII.

VII.

Denegent Confessarii Sacramentalem absolutionem iis, qui ignoranter vivunt circa Fidei sacrosancta Mysteria, atque præcipuas Christiani hominis obligationes; eosque vel ex caritate instruant, vel graviter monitos remittant ad respectivum Parochum pro sollicita institutione, ut ad lavacrum pœnitentiæ quantocitius admittantur.

VIII.

Parochi in catechesibus, concionibusque; Confessarii vero in suo munere explendo, moneant Patresfamilias de gravi obligatione invigilandi super christianam filiorum eruditionem, negligentesque redarguant, ipsosque judicent pro tantæ omissionis qualitate.

Art. II.

De Verbi Dei prædicatione.

Ne Christianorum Spiritus in hoc mortali curriculo positus defectionem sentiat, eum Verbi Dei pabulo con-

tinuo oportet reficere. Quod si jejunus dimissus fuerit, procul dubio *deficiet in via* (1). Exeat igitur in omnem terram prædicantium sonus, *et in fines Orbis terræ verba eorum* (2), ut hac spiritali esca omnis terra fruatur. Et sicut Christus mittens Apostolos, Nos eorum successores pariter misit, ita et Nos alios in tanto munere collaboratores mittere oportet virtute et sanctitate præditos ut a *Summo Cœlo* quasi egredientes (3), evangelizent pacem, evangelizent bona.

I.

Nemo ex Clero tam Sæculari, quam Regulari audeat populo prædicare sive in Ecclesiis, sive in Oratoriis publicis, vel alio quocumque loco, quin prius a Nobis, vel a nostro Vicario Generali facultatem in scriptis obtinuerit.

II.

(1) Marc. *Cap. VIII. v. 3.*
(2) Psal. *XVIII. v. 5.*
(3) Id. *v. 6.*

II.

Concionatores pro Quadragesimali tempore, omni prætextu secluso, munus in quocumque Diœcesis loco non incipiant, nisi personaliter apud Nos nostram benedictionem, et salutaria monita receperint, salvis quæ sancita sunt superiori capite circa Fidei professionem.

III.

Nemo ex Concionatoribus audeat Indulgentias publicare, vel populo Benedictionem quam Papalem appellant impertiri, nisi Nobis, vel nostro Vicario Generali privilegium quod pro hujusmodi gaudet, exhibuerit.

IV.

Ea qua decet dignitate ministretur Verbum Dei. Prædicatores non pascant semetipsos loqutionum vanitate, nec pruriant audientium auribus vitia leniendo. Exhortantes in doctrina sana, arguant, obsecrent, increpent in omni patientia. A fabulis et a novitatibus declinantes Sacram Scripturam interpretabuntur juxta Patrum auctoritatem, Ecclesiæque Catholicæ sensum. Quæ in scholis disputationi obnoxia, populo non proponant. Sit eorum

ser-

sermo purus, et simplex, cœlestis delectationis suavitate repletus. *Doctrinæ opportunitate et veritate infirma confirment, disrupta consolident, depravata convertant, et verbum vitæ in æternitatis cibum alendæ familiæ dispendant, ut gloriam a Domino tamquam dispensatores fideles, et villici utiles consequantur* (1). Concionatores denique suarum virtutum exemplo verba confirment, et præsertim omni læthali culpa expertes sint, ne dum aliis prædicaverint, ipsi reprobi efficiantur.

CAPUT III.

De Fidei Operibus.

Fides sine operibus mortua est (2). Ad hoc igitur ut fides nostra vivens maneat, ea quæ credimus omnino oportet operando exercere. Neque enim nobis ad vitam ingredi licebit, nisi Christo Jesu obtemperantes, studuerimus continuo servare mandata; (3) quod etiam in

(1) S. Hilarii Episc. Comment. in Matth. Cap. *XXVI. in fine.*

(2) Jacob. *Cap. II. v. 20.*

(3) Matth. *Cap. XIX. v. 17.*

in Sacro Fonte, cum ab originali labe mundabamur, unicuique nostrum dictum est ab Ecclesia per Sacrum Ministrum loquentem. Ut magis magisque Fidei, quam profitemur, opera nostra respondeant, de præcipuis disserentes operibus, tres sequentes dabimus articulos.

Art. I.

De Jejunio.

Jejunium, per quod hominis mortificatur caro, vivificatur autem spiritus, apostolica traditione sancitum reperitur. Jejunium ipse Jesus in deserto sacravit, tantique meriti effecit, ut per ejus observantiam *appropinquemus Deo, et resistentes Diabolo, vitia blanda superemus*. (1) Suscipiamus itaque in sinceritate Fidei Jejunii præceptum, ut per ipsum culpis, vitiisque decoctis, castas cogitationes, rationabiles voluntates, ac salubriora consilia (2) sequi valeamus.

I.

(1) Serm. S. Leo. Pp. *de Jejunio X. Mensis, et collectis.*
(2) S. Leo. Pp. *loc. cit.*

I.

Jejunium perdurat a media nocte præcedentis diei ad mediam noctem diei sequentis; ac in hujusmodi temporis spatio, unica circa meridiem instituenda est comestio, ex consuetudine tantum permissa serotina refectiuncula.

II.

Nemo ratione utens cibos vetitos, vel jus quodcumque ex carnium decoctione elicitum, tempore Jejunii gustare præsumat; nec excipiuntur a lege qui ratione ætatis jejunare non tenentur. Quod si necessitas aliter suadeat, secluso quocumque prætextu, id faciendum omnino non erit, nisi ex medici licentia, ac proprii Confessarii consilio adhibito, interdicta tamen promiscuitate ciborum: in aliquo vero infirmitatis casu, sufficit medicorum judicium, quorum jam oneramus conscientiam.

III.

Si Quadragesimali tempore obtentum fuerit Apostolicum Indultum super usum ciborum vetitorum, non tal.

effi-

afficiatur favore serotina refectiuncula. Ubi vero non adsit hujusmodi dispensatio, carnes nec publice exponantur, nec publice a lanionibus vendatur; cauponas, vel hospitia exercentes illas non parent, nisi de legitima licentia conscii sint; ac in omnibus evitetur scandalum, ne destruatur Christianorum spiritus tempore præsertim acceptabili, ac diebus salutis recurrentibus.

IV.

Ne ignorantiæ prætextus aliquem a jejunii lege subtrahat, Parochi omnes in antecedenti Dominica Filianos doceant vigilias in hebdomada occurrentes, ac præcedenti sero ad signum salutationis angelicæ, adhibito campanæ sono, iterum populo annuncient, quam consuetudinem approbamus, ac commendamus pro iis, in quibus viget locis, inductamque volumus, ubi nondum invaluerint.

V.

Parochi instruant fideles de Jejunii importantia, ac de modo illud digne adimplendi. Enunciantes præsertim Jejunii causas, populum admoneant de Jejunio in singu-

lis feriis sextis et Sabatis Adventus noviter apud nos Apostolicæ sedis providentia instituto vice jejunii adnexi nonnullis vigiliis, quod abrogatum fuit in Bulla Pii VII. fel. record. quæ incipit = *Paternæ Charitati* = Jejunium vero Quatuor Temporum, ab Ecclesia præscriptum, ut in quatuor anni temporibus culpas commissas expiemus; et in sortem Domini, ac ad Altaris Ministerium promovendi, vocationis suæ sanctitati apprime respondeant. Denique Plebs Domini moneatur bona opera cum jejunio conjungere necessarium esse. *Non enim in sola abstinentia cibi* ait S. Leo (1) *stat nostri summa jejunii: aut fructuose corpori esca subtrahitur, nisi mens ab iniquitate revocetur.*

Art. II.

De Festorum observantia.

Qui ausus est dicere in Cœlo = *Super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus aquilonis. Ascendam super altitudinem nubium,* si-

(1) Ser. 4. *de Quadrag.*

similis ero Altissimo, (1), audet dicere et in terra = quiescere faciamus omnes dies festos Dei a terra (2). = Adversus tam nefariam impiamque præsumptionem, arma fidei induentes, Dies Domini sanctificemus pietatis actibus, *non in commessationibus et ebrietatibus*, *non in cubilibus*, *et impudicitiis* (3), ut nihil sui juris audeat inimicus vindicare; sed in sanctitate, et justitia serviamus Deo, cui soli est honor, et gloria in sæcula sæculorum.

I.

Christifideles se omnino abstineant a quocumque opere servili a media nocte festum præcedente usque ad mediam noctem sequentem. Curent summopere Parochi hujus præcepti adimplementum; nec non enixe hortamur Auctoritates Laicas, ut Serenissimi Regis nostri pietatem sectantes, ea adimpleri satagant, quæ pro Festorum observantia per Regales Sanctiones præscripta reperiuntur.

g 2 III.

(1) Is. *Cap. XIV. vv. 13., 14.*

(2) Ps. *73. v. 8.*

(3) Ad Rom. *Cap. XIII. v. 13.*

II.

Ut nullum die festo exerceatur servile opus maxime in Domino cupimus. Quod si urgens necessitas aliter suadeat, præsertim tempore messis, et vindemiæ; tum vel alia quacumque rationabili causa, impetretur a Nobis, vel a nostro Vicario Generali opportuna facultas, concedenda necnon per nostros Vicarios Foraneos quoties periculum adsit in mora.

III.

Ut digne adimpleatur Festorum præceptum, non ab omni opere servili tantum abstinere necesse est, et sacrum audire; verum etiam piis operibus, per quæ turpe evitetur otium, vacare oportet. Quanto autem augustiora sunt Mysteria quæ certis diebus Ecclesia populo celebranda representat, tanto magis in præfatis actibus nos exerceri convenit; ita ut pro mensura divini quod colitur beneficii, grata per nos promatur cordis devotio.

IV.

Publica spectacula, vel cujusque generis nugas diebus festis exerceri non patimur, ne populus a sacris functionibus distrahatur. Præsertim prope Ecclesias, ac tempore sacrorum officiorum, ea vetita omnino volumus. Prædicta omnia intelligantur etiam pro Quadragesimali tempore, in hora maxime in qua sacræ habentur conciones, nec non pro Ecclesiis, in quibus expositum est Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum ad formam *Quadraginta horarum*, vel aliæ quæcumque peraguntur Functiones Sacræ. Transgressores per censuras Ecclesiasticas puniendos declaramus.

V.

Parochi die Dominico annunciare populo festa in hæbdomada recurrentia non prætermittant. Moneant peculiari modo Patresfamilias, ac Dominos eis quoque incumbere ut filii, famulique præceptum hoc districte adimpleant. In memoriam populorum revocantes dies festos ex Apostolica Indulgentia nuper reductos, instruant fideles id factum esse non ex pietatis diminutione, sed

ino-

inopes indigentesque sublevandi causa, qui ex labore manuum victum comparare coguntur; ac proinde Sanctorum venerationem in Christianorum mentibus, ac cordibus sartam tectamque omnino servandam esse.

Art. III.

De Cultu, et Veneratione Sanctorum.

Nimis honorati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum, qui procidentes ante thronum adorant Viventem in sæcula sæculorum, et mittunt coronas suas ante thronum illius; necnon animæ interfectorum propter verbum Dei, et propter testimonium ejus, quæ subtus altare clamant. Sancti omnes, per fidem vicerunt regna; et nos eorum vestigia sectantes in Fide eos veneremur, quoniam in *terris visi sunt ut essent exemplo, in Cœlum levati sunt, ut sint patrocinio* (1).

I.

(1) S. Bernar. Ab. *Serm.* 2. *de S. Victor.*

I.

Reliquiæ Sanctorum ea exponantur veneratione, quæ decet Sanctos Dei, et per quam fidelium augeatur devotio; ac proinde sine debito cultu eas publice exponi non patimur, districte onerantes pro hujusmodi adimplemento Ecclesiarum Rectores, vel alios, ad quos pertinet.

II.

Serventur in capsulis vel thecis Episcopali sigillo munitis, nullaque ex parte læsis: quod si fortuito vel fracta theca, vel fracta inveniatur crystallus, minime exponatur, nisi prius a Nobis recognita iterum obsignetur.

III.

Novæ Reliquiæ non exponantur, nisi prævia nostra recognitione, nostraque licentia.

IV.

IV.

Adsit in unaquaque Ecclesia, vel in sacristia armarium decenter sera et clavi munitum pro asservandis Sacris Reliquiis, cum inscriptione in qua patenter legatur = *Reliquiæ Sanctorum* = ac albus earum descriptus maneat in respectivis Ecclesiis, qui in actu Sanctæ Visitationis exhibendus erit.

V.

Hortamur Laicos, qui ex Episcoporum largitione nonnullis gaudent Sacris Reliquiis, ut ipsas omni decentiori modo custodiant, ac speciali prosequantur cultu. Sedulo invigilent ne earum amittant authenticas litteras, ne dubium occurrat de ipsarum identitate.

VI.

Confirmamus, ac renovamus excomunicationis pœnam latam a nostro Prædecessore Matheo Gagliani in sua Diœcesana Synodo ipso facto incurrendam, Nobisque reservatam contra Sæculares audentes reliquias tangere, illarumque particulas auferre, vel aliis donare.

VII.

VII.

Imagines sanctorum non pingantur, neque insculpantur, nisi modo ab Ecclesia constanter recepto. Si vero aliquid exprimant quod pietati, fideliumque ædificationi minime conferat, omnino removeantur, vel saltem corrigantur. Hinc nemini deinceps, juxta Tridentinam Sanctionem (1), liceat ullo in loco, vel Ecclesia etiam quomodolibet exempta, ullam insolitam ponere, vel ponendam curare imaginem, nisi a Nobis prius approbata fuerit, ac juxta orthodoxam liturgiam benedicta.

CAPUT IV.

De vitiis Fidei adversantibus.

Quod Fidei adversatur peccatum est, eaque integre adeo servanda, ut qui circa ipsam deficiat *in uno, factus sit omnium reus.* (2) Ut palmites in vite, ita et Nos

h per

(1) Trid. Sess. *XXV.* §. *De Invocat, Venerat. et Reliq. SS.*, *et Sacris Imaginibus.*

(2) Jacob. *Cap. II. v. 10.*

per fidem in Christo maneamus, quod si aliquis a Fide aberrans in eo non manserit, *mittetur foras sicut palmes, et arescet, et colligent cum, et in ignem mittent, et ardet* (1). Ut ergo in Fide stemus, a quibuscumque huic virtuti adversantibus declinare oportet; caventes præsertim vel hæresis, vel superstitionis, vel maleficiorum omnem pravitatem, quæ Fidei thesaurum in cordibus nostris deprædari conatur.

ART. I.

De Hæresi.

Gratias agentes Deo, quod, ipso adjuvante, Evangelii fides integra servatur in hac nostra Diœcesi; oves Nobis concreditas enixe in Domino exhortamur in fide perseverare, donec Pastorum Principi Jesu Christo eas sistamus, et fiat unum ovile, et unus Pastor. At ne aliquid audeat inimicus homo qui novit in agro Domini superseminare zizania, nonnulla proponere nostri muneris

est,

(1) Joan. *Cap. XV. v. 6.*

est, per quæ fides in credentium cordibus magis magisque roboretur,

I.

Si quis ex incolis, vel peregrinis aliquid erroneum circa fidem docuerit, seu verba protulerit, quæ sacra Mysteria, sacrosque ritus injuria afficiant, vel disseminator existat librorum prohibitorum ad Nos denuncietur. Pro cujus effectu in memoriam Confessariorum omnium revocamus districtum debitum pœnitentes commonendi de hac gravissima obligatione, cui etiam injuncta est censura quoties intra mensem a die habitæ scientiæ, effectu minime demandetur; nec non beneficium Sacramentalis absolutionis denegandi eis, qui ipsam adimplere, aut negligant, aut recusent.

II.

Qui sine debitis licentiis, libros vetitos aut legunt, aut etiam retinent nec absolvantur, nisi libris ad Ordinarium transmissis. Idem dicendum de Cathechismis Sectariorum, nec non de quocumque Sectario signo aut voluminibus, seu manuscriptis, seu prælo datis ad sectas pertinentibus,

III.

Cum ex librorum obscænitate maxima repetenda sit spiritualis ruina plurimorum, ideo libri de obscænis tractantes, quosque Ecclesia Catholica semper abominata est, tollantur e medio nostri, eliminentur, ac flammis comburantur, ut pollutas non faciant Christianorum aures, et corda, quæ solatio habere debent sanctos libros, qui sunt in manibus nostris (1).

IV.

Qui graviores in fide patiuntur internas conflictationes, hi præsertim per Theologalium virtutum repetitos actus, per Sacramentorum frequentiam, et maxime per casta opera animum in obsequium fidei continuo studeant captivare.

ART. II.

(1) 1. Machab. *Cap. XII. v. 9.*

Art. II.

De Superstitionibus , ac Maleficiis

Potestas tenebrarum quæ ausa est in deserto Christum tentare Sacrarum Scripturarum verba allegando (1) sæpe transformans se in Angelum lucis quandoque adhibet Sanctarum Scripturarum testimonia , ut homines ad superstitiones , maleficiaque impellat , vel alia signa , quibus virtutem, licet falsam, communicare demonstrat. Ne igitur sit inter nos qui *ariolas siscitetur et observet somnia atque auguria , nec sit maleficus , nec incantator .... aut quærat a mortuis veritatem* (2) sciant hæc omnia Dominum abominari; illudque præcipue pre oculis habeatur quod adversus superstitiosos legitur in Psalmo: *Odisti observantes vanitates supervacue* (3) .

I.

---

(1) Math. *Cap. IV.*

(2) Deut. *Cap. XVIII. vv. 10. 11.*

(3) Psal. *III. v. 7.*

I.

Nemo audeat Sacræ Scripturæ verba ad scurrilia, vel vana, vel superstitiosa aptare, in mentem revocans quæ a Sacrosancta Oecumenica Tridentina Synodo ad tantam reprimendam temeritatem sancita reperiuntur (1).

II.

Confirmamus, ac renovamus omnia, et singula, quæ continentur in num. IV. Cap. IV. Partis I. Synodi Diœcesanæ a nostro laudato prædecessore Matheo Gagliani habitæ, cujus verba pro majori commoditate hic transcribere judicamus = *Qui temere ausi fuerint Sacrosanctam Eucharistiam, sacrum Chrisma, et Oleum Sanctum, aut quæcumque alia consecrata vel dare, vel accipere ad veneficia, incantationes, sortilegia, aut id genus alia perpetranda, etiam effectu non sequto, in excommunicationem Nobis reservatam ipso facto incidere decernimus. In eamdem pœnam incurrere declara-*

(1) Conc. Trid. *Sess. IV. Decr. de Editione, et usu sacrorum librorum.*

ramus omnes utriusque sexus Personas, quæ Dæmoni thura, vel sacrificia offerunt, etiamsi absque intellectus errore in annulis, aut imaginibus, vel quocumque arte facto Dæmones alligantes, aut alligari mandantes, veneficos, veneficas, Negromantes, Divinatores, sortilegos, Lamias, Striges, et cæteros, qui cum expressa, vel tacita Dæmonis invocatione maleficia, et incantationes construunt ad captandam dilectionem, vel odium concitandum, ad inveniendos thesauros, ad ligandos, et avertendos Conjuges ab usu matrimonii; item consentientes, mandantes, et quomodolibet cooperantes, scientes, et non denunciantes, eodem anathematis vinculo obstrigimus. = Eamdemque pœnam, eamdemque obligationem pronunciamus contra eos, qui audent perturbare Defunctorum ossa, vel cineres.

III.

Judiciariæ astrologiæ vacantes, illam docendo, seu ediscendo, seu quovis alio modo illam exercendo: verbis precatoriis, vel imprecatoriis, seu signis, seu operibus utentes, quæ per seipsa effectu carent, neque languoribus hominum, aut jumentorum, aliorumque ani-

malium occurrere valent, eaque pariter docendo, vel ediscendo, vel quocumque modo exercendo, omnes ad Nos denuncientur, ut a scelere quod patrant, eos resipiscere curemus.

IV.

Incumbant præsertim Parochi in Cathechesibus, ac in Christianis institutionibus populum evocare a vanis quibuscumque observationibus, auspiciis, auguriis, somniorum fide, humanorumque eventuum scrutatione, cum naturaliter loquendo nihil in hisce contineatur, per quod vel divinæ providentiæ imperscrutabiles semitæ, vel incomprehensibilia judicia Dei humanis mentibus pateant.

CAPUT V.

De Blasphemiis, et Perjuriis.

Quorum os maledictione, et amaritudine plenum est, (1) ii sunt qui Deum, vel Sanctos ejus, vel Creatu-

(1) Psal. *XIII.* v. 3.

turas ad ipsum ordinatas blasphemant, et qui jurant *in dolo proximo suo* (1). *Sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agunt, venenum aspidum sub labiis eorum* est (2). Ut autem *contritio*, *et infelicitas removeatur a viis eorum, nec viam pacis semper ignorent, et timor Dei sit ante oculos eorum*, (3) eos a tanta impietate, vel minis, vel exhortationibus avertere in Domino confidimus, ut quanto magis hominis lingua Deum inhonorare est ausa, tanto magis sacrificio laudis ipsum honorificare non pigeat.

I.

Confirmamus, ac renovamus reservationem a nostro Prædecessore Mathæo, Gagliani fel. record. in Synodo Diœcesana (4) Nobis tantummodo factam pro absolutione Deum, vel Beatam Virginem Mariam ex prava consuetudine, vel publice (idest coram pluribus supra quatuor personas) blasphemantium. Idem dicendum de blasphemiis hæreticalibus.

II.

---

(1) Psal. *XXIII. v. 4.*

(2) Psal. *XIII. v. 3.*

(3) Id.

(4) *Cap. IV. de Blasphemiis n. 1.*

II.

Parochi frequenter moneant Populum de gravitate blasphemiæ, ejusque speciebus, et circumstantiis, ipsumque instruant de magno spirituali lucro toties quoties in caritate Blasphemus corrigatur. Ut autem pœnæ formido deterreat eos, qui amorem virtutis minime sentiunt, ante oculos blesphemantium ponant divinas ultiones, pœnas a Sacris Canonibus inflictas, necnon eas in Pœnali Codice hujus Regni solertia Religiosissimi Principis exaratas.

III.

Juramenti sanctitatem passim hisce temporibus conculcatam deplorare cogimur: ideo Parochi, Confessarii, omnesque Sacerdotes juramenti sanctitatem populo exponere, ac repetere numquam desinant, illud Prophetæ summopere inculcantes quod *in judicio*, *in veritate*, *et in justitia* (1) jurare oportet.

IV.

(1) Jerem. *Cap. IV. v. 2.*

IV.

At quia jusjurandum non debet esse vinculum iniquitatis, ideo Parochi, Confessarii, Sacerdotesque omnes clamare non cesset contra juramenta in offensionem Religionis, Principis, et proximi prolata. Hinc juramenta de Sectariis, de sectis, eorumque misteriis non detegendis, atque ad eas fideliter pertinendi nullimode astringere doceant, utpote vana, irrita, et repetitis vicibus ab Ecclesia damnata.

Indictio pro secunda Sessione.

Illustrissimus, et Reverendissimus in Christo Pater, Dominus Andreas Lucibello Episcopus Soranus etc. etc. in hac Dioecesana Synodo Præsidens, cum ea omnia quæ pertractanda, et agenda sunt, in hac prima Sessione, expedire nequiverit, aliam Sessionem decernit, et indicit in proxime sequentem diem de mane hora duodecima cum dimidio, ac propterea monentur omnes, et singuli ad illam convenire.

SESSIO SECUNDA

DE SACRAMENTORUM ADMINISTRATIONE

CAPUT I.

De Sacramentis in genere.

Sicut Eva e latere viri efformata, ita et e latere Christi efformata Ecclesia aqua et sanguine ex eodem profluente latere, novæ legis exiere Sacramenta, per quæ humana incipit justitia, incepta augetur, aucta perficitur, vel amissa recuperatur. Has igitur aquas in gaudio haurientes de fontibus Salvatoris, ipsis potemur, ut earum virtute spiritaliter repleti in vitam illam saliamus æternam, pro cujus adeptione Sacramentorum inæstimabiles thesauros Fidelibus suis Christus Jesus in visceribus misericordiæ per Crucem, et Passionem aperire non destitit.

I.

Quoniam ex Concilii Tridentini Canone (1) Sacramenta novæ legis nec plura, nec pauciora quam septem esse possunt; ideo Rectores Animarum, Sacerdotesque omnes populo exponere nunquam desinant quam juste, et rationabiliter a Pio VII. fel. record. in Bulla quæ incipit = *Ecclesiam a Jesu Christo* = damnati sint ii, qui Ecclesiæ Sacramentis *nova alia, a se per summum scelus inventa substituere videntur*; ac ita credentes per Orthodoxæ Doctrinæ explanationem a novitatum pernicie continuo avertere curent.

II.

Quia Sancta sancte tractanda sunt, Sacerdotes omnes, et præsertim eos, quibus de jure competit Sacramentorum administratio enixe in Domino hortamur, piam sanctamque ducere vitam, qualem decet Ministros Christi, et dispensatores Mysteriorum Dei.

III.

(1) *Sess. VII. de Sacram. Can. 1.*

III.

Non modo quòad materiam, formam, ac intentionem in Sacramentorum administratione serventur adamussim omnia, et singula in Rit. Rom. præscripta pro Sacramentorum essentia; verum pro eorum dignitate Ministris in Domino præcipimus ut utantur, dummodo necessitas aliter non suadeat, Sacris vestibus convenientibus, quæ munditiem præseferant; ac vasa sacra, cæteraque necessaria debito præstent nitore.

IV.

Ad Sacramenta administranda accersiti, nulla interposita mora, accurrant, *ne si quemquam sua incuria Sacramentorum præsidio destitui contingat, divinæ indignationi, et gravissimis Ordinarii pœnis obnoxii efficiantur* (1).

V.

(1) II. Syn. Prov. Neap. *Tit. III. Cap. I.*

V.

Sacramenta ordinarie loquendo nonnisi in Ecclesia administrentur, dummodo infirmitas, vel gravis necessitas cum expressa Episcopi licentia aliter fieri non permittat (1).

VI.

Nemo, excepto necessitatis casu, in aliena Parochia Sacramenta administrare præsumat, nisi de licentia proprii Parochi, vel nostri Vicarii Generalis. Nec stipem aliquam pro Sacramentorum administratione exigere quis audeat, cum simoniacum id esset; *sed gratis communicanda novimus quæ gratis accepimus* (2). Liceat tantum Sacerdotibus pro hujusmodi administratione oblationes recipere fidelium, dummodo quævis etiam tacita pactio evitetur. Denique majoris, aut minoris æleemosinæ spes ministros Dei personarum non faciat acceptores.

VII.

(1) Clement. de Bapt. et Benedict. XIV. in Encycl. *Magno cum animi nostri dolore* §. 19.

(2) I. Syn. Prov. Neap. *Cap. XII.*

VII.

Renati, Confirmati, et Conjugati statim describantur (adhibita in omnibus forma Rit. Rom.) in libris Parochialibus, qui in Ecclesiis custodiantur; veteresque ad perpetuam rei memoriam in Parochiali Archyvio asserventur. Idem erit de libris, in quibus Defuncti describuntur.

VIII.

Curent summopere Parochi, ut Fideles, qua par est reverentia, ad Sacramenta accedant; ac proinde illorum virtutem, et usum pro suscipientium captu explicare non prætermittant (1); ac in Sacramentorum abusum sancte irascantur, ut tanti criminis gravitatem Christiani horrescant.

(1) Conc. Trid. *Ses. XXIV. de Ref. Cap. 7.*

CAPUT II.

De Baptismo.

Ne Filii perseveremus iræ, statim ac mundo nascimur, expectat Nos *lavacrum regenerationis, et renovationis Spiritus Sancti* (1). *Inde incipit omnis fidei origo, et ad spem vitæ æternæ salutaris ingressio, et purificandis ac vivificandis Dei servis divina dignatio* (2). *Consepulti ergo cum Christo Jesu per Baptismum in mortem absit ut in peccato adhuc vivamus, sed in novitate ambulemus usque ad regnum Dei*, ad quod nemo introire poterit *nisi renatus fuerit ex aqua, et Spiritu Sancto* (3).

I.

Etiam secluso mortis periculo, diu non differatur infantibus Baptismi administratio, cum in teneris artubus re-

(1) Ad. Tit. *Cap. III. v. 5.*

(2) Sant. Ciprianus. *ad Juvenianum.*

(3) Iu Evang. Jovannis. *Cap. III. v. 5.*

repentini maxime sint pertimescendi eventus ; qui cogerent genitores gravissimum animæ detrimentum in infante nondum baptizato inutiliter deplorare .

II.

Nomina Sanctorum imponantur in Baptismo , nec ea adhibeantur , quæ in Martyrologio non sunt descripta .

III.

Quoniam omnis homo in casu necessitatis minister potest esse Baptismi , ideo Parochi , arrepta occasione , populum frequenter instruant de hujus Sacramenti materia , et forma . Et quia dubium occurrere potest an infans vere , vel valide baptizatus fuerit , an Baptismi capax sit ratione monstruositatis , vel dubiæ vitæ , ideo doceant in primo casu adhibendam esse conditionem = *Si non es baptizatus , ego te baptizo etc.* = in altero vero , = *Si es capax , ego te baptizo etc.*

IV.

Diligenter curent, ut Obstetrices præsertim optime noscant quæ superiori numero adnotavimus, nec permittant eis proprio fungi officio, nisi de valida hujus Sacramenti administratione apprime instructæ reperiantur.

V.

Maxima adhibeatur a Parochis diligentia pro rescienda validitate Baptismi a Laico quocumque administrati in necessitatis casu. Quod si dubium aliquod occurrat, semper tutiori se gerat modo; nec solemnes cæremonias in Ecclesia supplere prætermittat, etiamsi materiæ, et formæ validitatem pro comperto habuerit.

VI.

Quoad Susceptores, seu Patrinos, servatis omnibus, quæ in Sacrosancta Oecumenica Tridentina Synodo habentur Sessione XXIV. *de Reformatione Matrimonii* Cap. II.; nec non in Rit. Rom. præscripta, volumus, ut populus Parochorum ministerio discat quanti roboris, oneris-

risque sit cognatio ex hujusmodi susceptione exorta, quæque matrimonialia impedimenta, quæque obligationes tum spiritualis, tum temporalis subsidii a cognatione prædicta ducant originem. Discat præterea hanc susceptionem non inductam esse ad fovendam urbanitatis, vel inutilis ritus vanitatem; sed gravissimum sponsionis genus in ea venerandum esse.

VII.

A suscipiendis infantibus e Sacro Fonte escluduntur Regulares utriusque sexus. Sacerdotes, cæterique de Clero suscipiendi munus nec assumere quidem audeant, nisi de Episcopi, vel Vicarii Generalis licentia, sub pœna immediatæ Suspensionis a Divinis.

CA-

CAPUT III.

De Confirmatione.

Spiritus Sanctus, qui super aquas baptismi salutifero descendit lapsu in fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam, in confirmatione augumentum præstat ad gratiam; in baptismo regeneramur ad vitam, post baptismum confirmamur ad pugnam; in baptismo abluimur, post baptismum roboramur: Melchiadis Papæ verba sunt omnia (1). Hujus igitur Sacramenti virtute divinitus confirmati, bonum certamen certemus adversus diabolicos incursus, ac fidem quam professi sumus, etiam cum vitæ dispendio palam confiteri nec dubitemus. Ad hoc autem, ut Spiritui Sancto in confirmatione nobis supervenienti non resistamus, resonet semper in cordibus, et in auribus nostris, quod ad nosmetipsos direxit Eusebius Papa, et Martyr scribens ad Episcopos Campaniæ, nempe *manus impositionis* (idest confirmationis) *Sacramentum* magna veneratione tenendum esse (2).

I.

(1) Epist. unica ante med. ad Hyspaniar. Episcopos, et habentur *Cap. III. de Consec. Dist. V.*

(2) In Epist. ad Episcopos Campaniæ, et Tusciæ.

I.

Maximam excitent Parochi pietatem, religionemque in populo erga tam præclarum Sacramentum, tantaque dispositione ad ipsum accedere doceant, *ut dum caro inungitur, anima consecretur* (1). Hinc adulti, nisi Sacramentalis Pœnitentiæ lavacro abluti, confirmari non audeant. Insper ejusdem virtutem, saluberrimosque effectus explanare non desinant; *ut omnes intelligant illud non modo non negligendum, aut nimium differendum, verum et ardenti animo expetendum* (2).

II.

Ne Sacramentum istud reiterationis periculo exponatur, non omittant Parochi statim describere in libro ad hoc confecto confirmatorum nomina, nec non parentum, patrinorum, ac ipsius confirmantis, facta mentione de die, mense, et anno sequtæ administrationis.

III.

(1) Syn. II. Prov. Neap. *Tit. III. Cap. III.*

(2) Syn. Diœc. Neap. *An. 1694. Par. II. Cap. III.*

III.

Quoad Patrinorum conditiones, matrimonialia impedimenta, munia, et habilitationes, eadem dicenda sunt, quæ in n. n. 6. et 7. præcedentis capitis expressa reperiuntur.

IV.

Insuper, qui ætate confirmandum non præcedat, vel ipse confirmatus non fuerit, nullimode admittatur pro fungendo Patrini officio. Absque vero Episcopi licentia, nec mas fæminam, nec fæmina marem in confirmatione teneat; nec idem sit Patrinus, qui fuit in Baptismo; nec ulli liceat plures quam duos eadem die in confirmatione tenere.

V.

Habitu honesto, non mundanam vanitatem redolente quisque ad hoc Sacramentum accedat. Caveant præsertim mulieres, vel Confirmandæ, vel Matrinæ, *ne sæculi luxu, et procaci corporis cultu, ac Satanæ pompis affluentes, quibus in Baptismo renunciaverunt, ad Confirmationem accedant* (1).

CA-

(1) II. Syn. Prov. Neap. *Tit. III. Cap. III.*

CAPUT IV.

De Eucharistia.

Redemptor noster *cum dilexisset suos qui erant in Mundo, in finem dilexit eos*, (1) *parans in conspectu nostro mensam adversus eos, qui tribulant nos* (2) *Quid hoc convivio prætiosius esse potest, in quo non carnes vitulorum, et hircorum, ut olim in lege, sed nobis Christus sumendus proponitur verus Deus?* (3). Sumendo itaque carnem Christi vere cibum, et Sanguinem ejus vere potum quodammodo inebriamur ab ubertate Domus Dei, et torrente potamur voluptatis suæ. *Epulemur itaque in azymis sinceritatis, et veritatis* (4). Recolamus in hoc sacro Convivio memoriam Passionis ejus: mens impleatur gratia, et futuræ gloriæ nobis pignus detur. Ut autem de Mysterio tam mirabili aliquid digne proma-

 mus,

(1) Joan. *Cap. XXIII. v. 1.*
(2) Psal. *XII. v. 5.*
(3) S. Thom. Aquinat. *In Opus. 57.*
(4) Ad Chorint. *I. v. 7.*

mus, de illo in Sacrificio Missæ, nec non in Sacramento asservato venerando loquamur.

Art. I.

De Sacrosancto Eucharistiæ Sacrificio.

Oblatio munda, quæ juxta Malachiæ Prophetiam (1) in omni loco sacrificanda erat nomini Dei, quæque variis Sacrificiorum generibus in veteri lege obumbrabatur, est Sacrosanctum Altaris Sacrificium, quod idem est ac Sacrificium Crucis. Una siquidem est Hòstia; unus est Sacerdos, nempe Christus, cujus in Altari personam Mister assumit. Quod si tantæ dignitatis participes facti sunt novæ legis Sacerdotes, ut Christum Deo Patri offerre, ipsumque representare mererentur, Christi sectantes exempla, imitentur quod tractant, ut fructus incruenti Sacrificii quod offerunt, et ipsi consequantur, et ejusdem digna celebratione ædificetur Ecclesia.

I.

(1) Malac. *I. v. 11.*

I.

Nemo ex Sacerdotibus tam immemor vivat ministerii sui, ut ei suggerendum sit quanta pietas, quantaque dispositio in eo requiratur, dum ad immolandum Christi Corpus, et Sanguinem ad Altare accedit. Sacris vestibus decenter aptatis, vultu modesto, gravique incessu procedat; ac celebratione expleta, pari modo recedat.

II.

Districte servatis in Missæ celebratione Rubricis Missalis Romani, cæterisque per Sacræ Congregationis Decreta definitis, quæ Sacerdos ignorare nullimode potest, omnis evitetur præcipitatio vel ex verborum mutilatione: vel ex nimia actionum celeritate: evitentur incompositi motus. Demum ut celebratio, quoad durationem, defectu careat, non protrahatur ultra horæ dimidium, nec tam contrahatur, ut non attingat saltem tertiam horae partem.

III.

Sacra indumenta decore, ac munditie refulgeant;

 nec

nec non linteamina, corporalia, ac purificatoria ita sordibus vacent ut ad oblationem Hostiae immaculatae apta inveniantur.

IV.

Amictus, Alba, Altarium Tobalae, nec non Pallae, Corporalia, Purificatoria, ex tela, non ex gossipio subtilissimo, vulgo dicto *Mussolo vel Mussolino* conficiantur, ut ex antiquo Decreto S. R. C. in Pisaurensi sub die 15. Martii Anno 1664., aliisque recentioribus et novissimis.

V.

Restores Ecclesiarum, ac Sacristae sub pœnis arbitrio nostro reservatis non permittant Sacerdotibus exteris celebrare Missam, nisi ab iis testimoniales litterae a Nobis, vel a nostro Vicario Generali recognitae, exhibitae fuerint; exceptis casibus, in quibus Rectoribus ipsis, non vero Sacristis, de certa scientia constet, Sacerdotem exterum nullo impedimento canonico innodatum existere.

VI.

VI.

In Ecclesiis Parochialibus ubi diebus festivis prima Missa de mane celebratur a Parocho cum Catechesi, vel Evangelii explanatione, nullus Sacerdos antecedere praesumat Missam Parochialem, nisi justa, et rationabilis adfuerit causa ab ipso Parocho cognita. Quod etiam servetur in Ecclesiis filialibus, nec non in ipsis Ecclesiis suburbanis quae brevi intervallo a Civitate vel loco separatae remanent. Item in Cathedrali, in Collegiatis, ac Receptiis Ecclesiis in quibus Missa Conventualis cum cantu habetur, ne populus ab Ecclesiastico conventu distrahatur, Missae privatae nec celebrentur expleto in Choro *Te Deum*, nec rursus eis pateat locus, nisi post *Agnus Dei*. Si urgens aliqua causa aliter suadeat, ea probetur ab Ecclesiarum Rectoribus.

VII.

Sacerdos se conformare debet ritui, colorique Ecclesiae in qua celebrat, licet officium quod recitat aliter

expos-

exposceret (1). Neque laudatum Decretum rubricae Missalis adversatur, ubi legitur = *Quod fieri potest Missa cum Officio conveniat* = Mens enim S. R. C. non respicit Officium privatum Celebrantis, sed Officium publicum illius Ecclesiae, in qua Sacerdos celebrat, cujus ritui debet se conformare in celebratione Missae (2). Ideo Rectores moneant Sacerdotes fieri partes Ecclesiarum ad quas confluunt pro celebratione Missarum, et non posse pro suo arbitrio eosdem ritus mutare, si velint publice in eorum Ecclesiis celebrare, sed ipsos urget obligatio se conformandi cum aliis: turpis est enim pars, quae a suo toto discordat (3). Idem servandum erit in Ecclesiis filialibus sive urbanae sint, sive suburbanae.

VIII.

Parochi, Rectores Ecclesiarum, ac Sacristae sub pœnis arbitrio nostro Sacerdotibus Missam celebrare non permittant nisi veste talari adhibita, eliminato omnino in-

(1) S. R. C. *29. Januar. 1752.*
(2) Tablù *N. 75.*
(3) Quart. *in Rub. M. P. 1. T. 5.*

intollerabili abusu sumendi indumenta sacra cum veste comuni, vulgo dicta *Soprabito*, etiam secluso praetextu quod prolixior sit. Pari modo non permittant Missae celebrationem Sacerdotibus ocreis calceatis, ratione itineris nequidem suffragante.

IX.

Nullo umquam pretio aestimari possunt incomparabiles divitiae, quibus affluit Sacrosanctum Altaris Sacrificium. Quod si aliquid a Fidelibus pro celebratione datur, id non ad Missae pretium, sed ad Celebrantis adminiculum praestatur, ut vivant ex Altari qui Altari serviunt. Hanc igitur Eleemosynam locorum, temporumque diversitati accomodatam cupientes, permittimus *obulos*, vulgo dictos *grana* quindecim per Sacerdotes exigi posse, nullimode limitata pro majori stipendio Offerentis devotio.

Art. II.

De Sacrosancto Eucharistiæ Sacramento.

Ergo ne credibile est, at inhabitet Deus nobiscum

cum super terram? (1). Attamen Fides quae sensuum defectui praestat supplementum, Christum Jesum in Sacrosancta Eucharistia nobiscum manere expresse docet; ac Redemptor noster, cujus deliciae esse cum filiis hominum (2), per eamdem Eucharistiam nobiscum erit omnibus diebus, usque ad consumationem saeculi (3). Per Eucharistiam insuper suis carnibus non pascit, nos tuetur; ac cibato homine ex adipe frumenti (4), renovat ad Altare juventutem nostram. *Resonent, igitur, in voce exultationis epulantes in Mensa Domini, qui pane suavissimo de Cœlo præstito* esurientes replet bonis, fastidiosos divites dimittens inanes.

I.

Tabernaculum pro asservando Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, elegantiori modo constructum habeatur,

cla-

(1) II. Paralip *Cap. VI. v. 18.*

(2) Prov. *VIII. v. 31.*

(3) Math. *Cap. XXVIII. v. 20.*

(4) Psal. *LXXX. v. 17.*

clavi munitum, ac Lampadem ante ipsum perenniter collucescere curent summopere Parochi, Ecclesiarum Rectores, ipsique Sacristæ, injunctis etiam pœnis ad nostrum arbitrium.

II.

Qualibet die Dominica renovetur in Pyxide Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum pro fidelium communione, cum vetitum sit pro hujusmodi renovatione decimam quintam expectare diem, secluso etiam temporis hyemalis praetextu (1).

III.

Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum solemniter in Ostensorio non exponatur, nisi adhibitis saltem sexdecim candelis, servatisque decretis a S. R. C. ad hoc emissis. Quod si exponendum erit praeter consuetas fun-

m ctio-

(1) Ex Decr. S. C. Episc. *in Ravennaten. 5. Aprilis 1573.*, et ex Consist. Clement. VIII. incipiente : *Sanctissimum.*

ctiones cum Expositione fieri solitas, id omnino non permittatur absque nostra, vel nostri Vicarii Generalis licentia, quam in scriptis, ac spectata causa concedendam declaramus.

IV.

Quanta hujus Sacramenti sit dignitas, ac virtus assidue per Parochorum, Concionatorumque ministerium populo exponatur. Parochi vero omnino ex officio satagant, ut filiani eorum curæ concrediti pane Eucharistico reficiantur Resurrectionis Paschate adveniente, ne adimplementum prætermittant Ecclesiastici Præcepti; eosque in libro ad hoc confecto describant, ac schedulis munitos faciant. Quod si indigni ac amentes existant, ab hac Mensa arceantur.

V.

Solemnioribus per annum recurrentibus diebus ad Mensam, Domini invitentur fideles, ut spiritus pinguedinis, qui datur Carnes Christi digne manducantibus, in eis augeatur.

VI.

VI.

Sanctissimæ Eucharistiae frequentiam Clericis tam in minoribus, quam in Sacris Ordinibus constitutis, summopere inculcantes, verba ipsius Trid. Concil. adducere pretium operis erit, nempe *Subdiaconi, et Diaconi* . . . . *sciant maxime decere si saltem diebus Dominicis, et solemnibus cum Altari ministraverint Sacram Communionem perceperint* (1).

VII.

Adolescentes non admittantur ad Eucharistiam, nisi ejusdem dignitatem cognoscere valeant; ac proinde quadragesimali tempore horis opportunis habeatur a Parochis specialis institutio pro adolescentibus noviter Paschali tempore communicandis.

(1) Sess. *XXIII. de Reform. Cap. XIII.*

VIII.

Præcipimus, et mandamus, sub pœna arbitrio nostro, Parochis, Sacerdotibusque omnibus, ne audeant Eucharistiam ministrare, nisi superpelliceo, et stola in *Sacristia* indutis, habentibusque ministrum, qui nomine fidelium communicaturorum recitet *Confiteor*, atque Parocho, vel Sacerdoti ministranti respondeat. Similiter intelligibili voce, adhibitaque ministri responsione, recitetur, communione peracta, Antiphona cum Versiculis, et Oratione tempori congruente: clavisque ad ostium Tabernaculi non remaneat, sed expleta confessionum auditione usque ad meridiem, omnino removeatur.

IX.

Ne violatæ charitatis, vel violatæ obligationis reus coram Deo, et hominibus efficiatur Parochus non solum Sanctissimæ Eucharistiæ Viaticum ægrotantibus in mortis periculo constitutis ministret; verum etiam, secluso mortis periculo, infirmum Eucaristico pane, opportuna dispositione praemissa, reficere curabit, juxta personarum di-

diversitatem. Quod si necessitas exigeret per aspera locorum iter esse faciendum, ne quis infirmus absque Viatico e vivis decedat, permittitur Parocho consecratam particulam in parva Pyxide servatam, deferre in capsula serica a collo ad pectus pendente, et duabus, vel una tantum face absque extinctionis periculo adhibitis. Vae Pastoribus qui infirmos absque Viatici munitione a saeculo migrare permittunt, quasi de commissis ovibus nihil ad eos pertineret! sanguis ovis perditae de manu eorum requiretur.

CAPUT V.

De Pœnitentia.

Amissa innocentiae stola qua sacra fonte induti sumus, baptismo pœnitentiæ nos denuo baptizari oportet. Hinc secunda post naufragium tabula jure dictum est Pœnitentiæ Sacramentum; per quod tempestatibus superatis in hoc mari magno, ac spatioso manibus (1) ad Cœ-

(1) Psal. *CIII.* v. 25.

Cœlestem illam possimus appellere patriam, in quam *nihil coinquinatum intrabit*, *aut abominationem faciens* (1). Noscant ergo hujus Sacramenti Ministri salubriter super terram vel remittere, vel retinere peccata, ut remissa, vel retenta sint et in Cœlis: noscant Pœnitentes per cordis contrictionem, confessionem oris, operumque satisfactionem sordes animæ abluere, et majore quacumque iniquitate, spe veniæ effecta, superabundabit misericordia, ubi abundavit delictum.

I.

Confessarii præ manibus assidue habeant Auctores Moralium: commendamus præsertim Operam Moralem a B. Alphonso Maria de Ligorio confectam, *Instructiones pro Confessariis* S. Caroli Borromæi, nec non Opusculum prælaudati B. Alphonsi, cujus titulus = *Istructione, e Prattica per i Confessori* = Sicut etiam aliud Opusculum Pauli Segneri e Societate Jesus, inscriptum = *Il Con-*

(1) Apoc. *Cap. XXI. v.* 27.

Confessore Istruito = Nec prædicti libri ignorentur a Sacerdotibus non Confessariis, cum in necessitatis casu, cui maxima conjuncta est difficultas, Sacramentales Confessiones et ipsi suscipere teneantur.

II.

Patris, Doctoris, Judicis, ac Medici partes adimpleat Confessarius. Prudenter absolutio pro spirituali Pœnitentium bono impertiatur, vel denegetur; nec a casibus Nobis reservatis, qui inferius exponentur, quis absolvatur absque nostra, vel nostri Vicarii Generalis expressa licentia. In absolutione neganda caute se gerat, ut adstantes, nec cognoscere, nec suspicari valeant pœnitentem inabsolutum a Confessario dimitti.

III.

Cupimus autem, et enixe in Domino hortamur, ut Confessarii omnes pro tanta sui muneris dignitate, Pœnitentiæ Sacramentum viris etiam quoad fieri potest in Ecclesia administrent, atque talari veste induti, ut hoc modo aspicientibus nulla detur admirationis occasio.

IV.

IV.

Mulierum confessiones non excipiantur nisi in Confessionali sede cratibus munita, nec ante Auroram, nec post Solis occasum, sub pœna suspensionis ab officio. Horis pomeridianis, ac vespertinis mulierum audire confessiones vetitum omnino volumus, ab hac lege excipientes Pœnitentiarium nostræ Cathedralis Ecclesiæ, et Parochos; nec non excipimus Confessarios, qui justa de causa facultatem a Nobis, vel nostro Vicario Generali obtinuerint.

V.

Confessarios in Confessionali Sede Superpelliceo, ac stola violacea indutos optamus; absque veste talari vero prohibitum omnino sit sub pœna suspensionis ab officio, aliisque nostro arbitrio reservatis.

VI.

Medici ad ægrotos vocati non expectent proximum mortis periculum, ut eos ad Sacramentalem Pœnitentiam hor-

hortentur, sed ab infirmitatis initio suggerant tantum animæ remedium; alioquin gravissimas pœnas comminatas in Summorum Pontificum Constitutionibus, præsertim a Pio V. (1) effugere non valebunt.

Casus Reservati.

Quibus non adnectitur excommunicatio.	*Quibus adnectitur excommunicatio ipso facto.*
I. Blasphemantes Deum, vel B. Virginem ex perversa consuetudine, vel ex malo habitu, vel in loco publico coram pluribus supra quatuor. Idem dicatur de pro-	I. Superstitiones, et sortilegia in quibus fiunt invocationes Dæmonum, vel Dæmoni spondetur obsequium, vel thus, et sacrificia offeruntur, vel adhibentur res sa-

n

(1) In sua Constitut. quæ incipit = *Supra Gregem Dominicum* sub die 8. Martii 1566.

proferentibus haereticales blasphemias.

II. Homicidæ voluntarii, ac dantes eis auxilium aut favorem; nec non procurantes abortum.

III. Incestus in primo, vel secundo consanguinitatis vel affinitatis gradu quoad masculos tantum: exercentes peccatum sodomiæ cum masculis, vel fœminis quoad masculos pariter tantum; vel cum brutis coeuntes.

IV. Sponsi, et Sponsæ post contracta sponsalia etiam privata inter se, et ante Matrimonium legitime celebratum ad invicem coeuntes.

V. Concubinarii, et Concubinæ ultra sex menses; et si quando pro eis absolven-

sacræ uti sunt Chrisma, Oleum Sanctum, vel quodcumque consecratum.

II. Qui ad Monasteria Monialium absque nostra, vel nostri Vicarii Generalis licentia accedunt ad crates ad colloquendum cum aliqua, vel aliquibus ex eis, etiamsi sit Novitia, Conversa, vel educandi causa ibi commoretur (exceptis tantum conjunctis in primo, ac secundo consanguinitatis, ac in primo affinitatis gradu): declarantes quod qui facultatem habuerint colloquendi cum aliqua prædictarum, nequeant cum aliis loqui. Insuper cum iis loquentes, aut exercentes actus impudicos, aut res ob-

vendis alicui Confessario a Nobis fuerit concessa facultas, non absolvantur, nisi facta reali separatione thori, et domus per duos menses, vel nisi certe constet paulo post esse inter ipsos Matrimonium contracturos.

VI. Omnes in causis criminalibus, aut civilibus in damnum tertii, cum juramento falsum deponentes, aut deponendum curantes, necnon inducentes ad falsum deponendum; falsisque testibus, depositionibus, instrumentis, scripturis tam publicis, quam privatis quomodocumque utentes in quavis Curia Civitatis, et Diœcesis Soranæ. Insuper omnes qui in damnum alterius falsi- obscœnas; vel iis absentibus per litteras, vel internuncios similia scribentes, nec non viri, et mulieres sive intra, sive extra claustra degentes, qui prædictas litteras vel mandata scienter detulerint.

III. Confessarii omnes etiam Parochi ad inhonesta personam quamcumque ex sibi confitentibus, sive in actu Confessionis, sive ante vel post immediate sollicitantes, vel occasione Confessionis ad turpia inducentes.

IV. Confessariis omnibus etiam Curatis adimitur facultas absolvendi personas quascumque a peccatis in materia contra castitatem, quarum ipsi complices sint; et si

2 n ab-

sificaverint, vel corruperint instrumenta, processus, scripturas publicas, authenticas, nec non mandantes, et cooperantes.

VII. Publice, ac notorie usuras exercentes.

VIII. Fundos, et scripturas quascumque Ecclesiarum, vel aliorum Piorum Locorum usurpantes, ac occultantes.

IX. Violentas manus in Genitores mittentes.

absolvere attentaverint, ipso facto censeantur suspensi ab audiendis Confessionibus.

V. Parentes in proprio lectulo infantes biennio minores sine repaculo retinentes, actu tamen suffocationis sequtæ.

VI. Incendium malitiose procurantes locorum Sacrorum, Domus, Campestrium Mansionum, vulgo dictæ *Pagliaje*, frugum, nemoris, effectu sequto.

Ante decimum quartum ætatis annum completum, nemo his casibus, et censuris comprehenditur.

Cum ab Episcopo, obtinetur facultas a reservatis absolvendi, non intelligitur concessa facultas absolvendi a prædictis casibus, quibus est adnexa excommunicatio ipso facto, nec minus a secundo casu ex iis quibus non est adnexa censura, nisi etiam ipsi specialiter exprimantur.

CAPUT VI.

De Extrema Unctione.

Adversarius noster Diabolus , qui *tamquam leo rugiens circuit quærens quem devoret* , (1) appropinquante praesertim mortis hora , *descendit ad nos habens iram magnam* , *sciens quod modicum tempus habet* (2) . Ut animi robore tanto resistamus hosti , ejusque conflictationes in extremo agone superemus , quisque infirmatus *inducat Præsbyteros Ecclesiae* , *et orent super eum ungentes eum oleo in nomine Domini* : *et oratio fidei salvabit infirmum* , *et alleviabit eum Dominus* , *et si in peccatis sit* , *remittentur ei* (3) . Hinc Tridentina Synodus Spiritu Sancto afflata merito declaravit Sacramentum hoc a Patribus *non modo Pœnitentiæ* , *sed et totius Christianæ vitæ* , *quæ perpetua Pœnitentia esse debet* , *consumativum* fuisse existimatum (4) . Igitur hoc sacro adju-

(1) Petr. *Cap. V. v. 8.*

(2) Apocalyp. *Cap. XII. v. 12.*

(3) Jacob. Epi t. Cath. *Cap. V. vv. 14. 15.*

(4) Sess. *XIV. Doctrina de Sacramento Extremæ Unctionis.*

jumento suffulti, nec spiritus infirmitatem in exitu vitæ sentiemus, neque impedimenta patiemur, *quae animam mox e corpore migraturam, ab ingressu Cœli remorari possint* (1).

I.

Parochi populum instruentes removeant ab eo præjudicium illud ab humani generis hoste plerisque rudibus, et ignaris injectum, *ut credant actum esse de vita illius qui sancto oleo est inunctus, et solum ei superesse sepulcrum, ex quo fit, ut a Sacra Unctione, perinde ac ab ipsa morte abhorreant* (2). E contra doceant pro infirmo inungendo non expectandum esse ultimum ejus vitae periodum. Confert enim hoc Sacramentum *Sanitatem corpori interdum, ubi saluti animae expedierit* (3). *At hunc effectum non operatur Sacramentum per modum miraculi, quod in illis circumstantiis* es-

(1) Tirin. Comm. in Epist. Canon. Jacob. *ad Cap. V. v. 15.*

(2) Bened. XIV. de Synod. Diæc. *Lib. VIII. Cap. VII. N. 11.*

(3) Trid. *Sess. II. Cap. 11.*

esset necessarium, *sed virtute quadam supernaturali quidem*, *sed quodammodo ordinaria*, *quae causas naturales adjuvat.* (1) . Insuper *ex aliis nobilioribus effectibus*, ut loquitur mox laudatus Benedictus XIV. (2) desumendo necessitatem celeriter petendi, ac recipiendi Extremam Unctionem, *quos eadem in decumbentium anima operatur*, *quorum haud feliciter particeps esse potest aegrotus jam sensibus*, *et rationis usu carens*, allegānda sunt verba Sancti Caroli Boromei (3) a laudaro Pontifice memorata: *Prima igitur utilitas*, *et effectus hujus Sacramenti est*, *quod peccati reliquias tollit*, *tamquam complementum Sacramenti Pœnitentiæ*, *quae reliquiae peccata esse intelliguntur sive mortalia*, *sive venialia*, *quae post alia Sacramenta remanent*; *potest enim fieri*, *ut ignorante eo*, *qui commisit*, *vel non valente confiteri*, *peccatum mortale remaneat*; *in quo delendo ita hoc Sacramento juvatur*, *ut fieri posset*, *eum per hoc Sacramentum salvari*, *qui alioquin fuisset damnatus*. At peccata venialia non remittuntur, ab-

(1) Bened. XIV. *loc. cit.*

(2) *Loc. cit. N. III.*

(3) In actis Eccles. Mediolanens. *Par. IV. pag. 541.*

absque aliqua eorumdem displicentia, nec lethalia delentur *sine eorum detestatione, eaque saltem imperfecta contritione, quae est necessaria ad veniam, et justificationem assequendam in Sacramento Pœnitentiae. Cum autem ejusmodi actus certe elicere nequeat, qui est sensibus, et mente jam destitutus, nisi forte eos jam antea elicuerit, utroque sane Sacramenti effectu fraudatur* (1).

II.

Circa aetatem in pueris expectandam, ut censeantur hujus Sacramenti capaces, sequantur etiam numquam satis laudatum Benedictum XIV. dicentem. *Statim ac pueri rationis compotes judicantur doli, et culpae capaces, si in gravem incidant morbum, poterunt infirmorum Oleo muniri* (2). Quod magis declarat sequentia laudando = *Non denegetur* (Extrema Unctio) *etiam pueris, si septimum attigerint annum, nec iis, in quibus malitia supplet aetatem, etiamsi Septenarii non sint* (3).

III.

(1) Bened. XIV. *loc. cit.*

(2) Id. *Cap. VI. N. II.*

(3) Card. de Rohan. *in Rit. Argentinens. tit. de Extrema Unctione* §. 2. *pag. 174.*

III.

Denegetur hoc Sacramentum perpetuo amentibus, et furiosis, qui nullum ab ortu lucidum intervallum obtinuerunt: non vero iis, qui licet vi morbi sensibus sint destituti, tamen præsumi potest hoc Sacramentum fuisse petituros, si potuissent.

IV.

Quoad reiterationem hujus Sacramenti in eadem infirmitate; repetendum erit si diuturna fuerit infirmitas, ac ægrotus in discrimen relabatur vitæ postquam visus est melius se habere. In dubio an vere morbi status fuerit immutatus, propendeant Parochi ad Sacramenti iterationem, utpote conformiorem veteri Ecclesiæ consuetudini, atque ad spirituale infirmi subsidium accomodatam.

V.

Parochi, vel OEconomi Curati, excepto necessitatis casu non deferant Oleum Sanctum pro Extrema Unctione ad infirmos, nisi in capsula serica violacei coloris: nec

aliqua supposita necessitate audeant Oleum Sanctum pro sua majori commoditate in propriis sæculis deferre, sub pœnis arbitrio nostro reservatis.

VI.

Vasculum cum Sacro Oleo custodiatur in armario decenter constructo e latere Altaris, in quo asservatur Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, cum inscriptione patentibus litteris: *Oleum Sacrum Infirmorum*.

CAPUT VII.

De Ordine.

Levitarum genus a Deo in veteri lege electum ut Tabernaculo ministraret, præfiguravit novæ legis *Regale Sacerdotium* (1), cujus honorem nemo sibi sumere præsumat, *sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron* (2). Hujus sanctæ vocationis signa, quæ vere ostium est, per quod

(1) Petr. *Cap. II. v. 9.*
(2) Ad Hæbr. *Cap. V. v. 4.*

quod ad ministrandum in templo Domini intratur, manifestantur in morum puritate, in scientiarum studio, ac in zelo divinarum rerum, animarumque salutis. Hisce distinctis characteribus ascendant per semitam sanctam ad templum Domini qui Ecclesiasticæ Militiæ participes esse cupiunt, *ut nec nos de eorum provectione*, *nec* ipsi *de officii susceptione damnari a Domino*, *sed remunerari ptius mereamur* (1).

I.

Nemo ad primam clericalem tonsuram promovebitur, nisi requisitis præditus a Sac. Conc. Trid. designatis *Sess. XXIII. de refor. Cap. IV.*, neç non quoad ætatem, ecclesiasticumque servitium ea præbeat quæ in Concordato memorata reperiuntur.

II.

Ad minores Ordines non promovebuntur nisi ii, qui in lingua latina, grammaticalibusque præceptis instructi re-

(1) Pontif. Rom. *de Ordinat. Presb.*

periuntur. Ad Sacros Ordines vero non ascendatur nisi prævio examine in diversis materiis Theologicis, sive dogmaticis, sive moralibus, ita ut ad præsbyteratum promovendi præcipuos saltem hujus scientiæ tractatus non ignorent.

III.

Nemo ad Subdiaconatus Ordinem admittatur; nisi vel cappellania, vel beneficio præditus, cujus fructus respondeant taxæ ducatorum quinquaginta monetæ hujus Regni. Iis vero carens habeat patrimonium sacrum in bonis stabilibus quacumque hypotheca, vel quocumque alio vinculo solutis, cujusque fructus pariter respondeant prædictæ taxæ (1). Quæcumque autem in Synodo Episcopi Gagliano de Clericorum patrimonio sancita inveniuntur, (P. II. Cap. IX. §. 3. et 4.) omnino confirmamus atque hic inseri volumus, videlicet: *Utque fraudes, quoad fieri potest, de medio tollantur, mandamus, ut desuper expediantur edicta cum bonorum descriptione in calce, quæ per novem saltem dies continuos affixa ma-*

(1) Concord. de Anno *1818, Art. 21.*

maneant tam in januis nostræ Cathedralis, et Parochialis ejus, qui ordinandus est, quam in januis Parochialium Ecclesiarum aliorum locorum ubi bona sunt sita. Cæterum præter pœnas contra perjuros statutas, excommunicationis pœnam ipso facto incurrendam ex nunc decernimus non solum contra Testes peritos, qui scientes bona assignata in patrimonium non esse propria, vel libera constituentis, aut esse cum simulatione constituta, sive esse minoris redditus, quam annuorum ducatorum quinquaginta, *alterius nihilominus servientes voluntati, contrarium ausi fuerint deponere, sed etiam contra illos, qui bona non sua, vel non libera, vel cum fraude, simulatione, aliove illicito pacto retinendæ apud se possessionis, vel simili in patrimonium constituerint. Clerici autem, qui scienter ad titulum fraudolentorum hujusmodi patrimoniorum curaverint ordinari, ab exercitio Ordinum susceptorum sint eo ipso suspensi, et ad Superiores Ordines deinceps inhabiles. Patrimonium, ad cujus titulum Clericus in sacris constitutus fuit, obligari, alienari, Constituenti retrocedi, vel remitti, aut quovis modo distrahi omnino prohibemus sub pœna, praeter Suspensionem per Clericum incurrendam ipso facto, nullitatis contractus. Secus vero*

quan-

quando impetrata sit a Nobis in scriptis licentia ad alium de novo contractum ineundum, quae non dabitur, nisi Clericus aliud habeat, unde vivat, vel Beneficium Ecclesiasticum sufficiens adeptus fuerit.

IV.

Quoad Parochorum attestationes de servitio Ecclesiæ præstito, de Ordinis exercitio, de morum qualitate; quoad denunciationes, cæteraque documenta serventur adamussim ea, quæ ad normam Concil. Trid. aliarumque Ecclesiasticarum Sanctionum in praxi habentur in hac nostra Episcopali Curia.

V.

Et si promovendi ad Sacros Ordines per decem dies sub idonea directione spiritualibus Exercitiis necessario vacare debent; ii non minus, qui ad Clericalem Tonsuram, vel ad Minores Ordines sunt promovendi, congruam præmittant animi dispositionem, ut divina affluente gratia, officii sui partes cognoscere, et adimplere valeant; quinimo fideles, prudentesque inveniantur servi, quos

quos constituit Dominus super familiam suam (1).

CAPUT VIII.

De Matrimonio.

Quos ab initio *Deus conjuxit* (2), et fecit ut essent *duo in carne una* (3) tanto honore in plenitudine temporum Redemptori nostro placuit afficere, ut et ipse in nuptiali convivio non modo sedere non dubitaverit; verum etiam in eodem convivio, aqua in vinum conversa, initium signorum suorum patrare non fuerit dedignatus. Et quia de tanto mysterio nihil aptius eo excogitare potuimus, quod per Sanctum Maximum dictum est; ita ejus verba referre operæ prætium arbitrati sumus. Ait enim: *Vadit ad nuptias Dei Filius, ut quas dudum potestate constituit, easdem nunc praesentiae suae benedictione sanctificet* (4). Quis igitur au-

(1)
(2) Matth. Cap. XIX. v. 6.
(3) Gen. Cap. II. v. 24.
(4) Hom. 1. in Epiph. Domini.

audeat dubitare quin hoc *Sacramentum magnum* (1) sit, eo magis quod in Christo, et Ecclesia declaratum novimus? Qui ad matrimonium vocati, digna interiori dispositione ad ipsum accedant. Qui matrimonio conjuncti sunt ita venerentur in semetipsis hoc Sacramentum, *ut Vir, et mulier bene sibi consentientes*, juxta id quod legimus in Scripturis Sanctis, probati sint coram Deo, et hominibus (2).

I.

Matrimonium celebrare, quin præcedant tres denunciationes diebus festivis inter Missarum solemnia factæ, vetitum est tam a Sacrosanto Tridentino Concilio *Sess. XXIV. Decretum de Reform. Matrimonii Cap. I.*; quam a Synodo Præsulis Gagliani Prædecessoris nostri (Part. II. Cap. X. §. I., et IV.), cui omnino Parochi se conformare debent pro denunciationibus tribus ad jussum nostrum emittendis, et pro cæteris in eo designatis. Quoad autem unius, vel

(1) Ad Ephes. Cap. V. v. 32.

(2) Ecclesiast. Cap. XXV. v. 1, 2.

vel duarum denunciationum dispensationem, vel trinæ denunciationis remissionem, nemo ex Parochis aliquid ex se decernere præsumat, cum vigore prælaudati Concilii, et Synodi Nobis tantum hujusmodi facultates tribuantur.

II.

Absque nostræ Episcopalis Curiæ licentia nullum celebretur Matrimonium, nec extra Parochialem Ecclesiam, neque eodem die, quo absoluta est ultima denunciatio, sub pœna immediatæ suspensionis in Parochos reluctantes lata in nostra Encyclica expedita die 20. Aprilis 1821., quam in præsenti confirmamus, Nobisque reservamus.

III.

Non exigatur a Parocho pro actis ab ipso ante matrimonium conficiendis, ultra id quod per regales sanctiones pro hoc Regno præscriptum reperitur, quod etiam et æquitati respondet.

IV.

Curent Parochi, ac Confessarii ne Conjugati a tho-

ro disjuncti diu vivant, nisi ex mutuo consensu, justa adveniente causa, omnique scandalo secluso. Nihil prætermittant ad hoc ut Trasgressores agnoscant multitudinem peccatorum quorum rei efficiuntur, ut hoc modo ad bonam revertentes frugem, proprio debito satisfaciant.

V.

Parochi quoque, ac Confessarii moneant Conjugatos et alios, ne infantes in lecto, obice haud interposito, retineant, nisi biennio expleto, ut arceatur suffocationis crudelissimum discrimen; grandiusculos pariter non permittant in eodem maritali lecto jacere, ne aliquid detrimenti eorum innocentia patiatur. Denique masculi a fæminis separentur, nulla necessitatis excusatione suffragante.

VI.

Instent etiam ut Genitores maximam adhibeant curam pro educandis et custodiendis filiis, habito respectu tam ad spiritum, quam ad corpus. Ipsos primum crescere curent in timore Dei; deinde satagant eos præsertim in tenera ætate a temporalibus periculis custodire, maxi-

mo-

mopere caventes ne soli remaneant Domi, vel Ruri, ubi vel ex puerili ignorantia, vel ex alio inopinato eventu graviora patiuntur damna, nec non mortem ipsam, quod et funestissima experientia sæpesæpius non sine comuni mœrore testatur. Demum eos non negligant si exacta jam vigesima quarta diei hora adhuc vagare sciant, sed in propria intrare compellant, ut noctis evitent discrimina, ac sibi subditi adolescant.

Indictio pro tertia Sessione.

Quoniam recurrente crastina die Festo S. Restitutæ Virginis, et Martyris Præcipuæque hujus Civitatis, ac Diœcesis Patronæ, Vesperis in Pontificalibus hodie præmissis, Missa Pontificalis in ejusdem Ecclesia ab Illustrissimo, et Rev. Domino celebranda erit; ideo ex tam rationabili ac justa causa, intermissa hujus Synodi continuatione et conclusione eæ habebuntur die immediate sequenti, quæ erit vigesima octava hujus Mensis hora duodecima, ac proinde omnes et singuli convenire non prætermittant.

SESSIO TERTIA.

CAPUT I.

De vita, et honestate Clericorum.

Redemptor noster; qui nobis dixit: *Vos estis sal terræ* (1): *Vos estis lux mundi*, statim adjecit *quod si sal evanuerit in quo salietur* deficiet, et quod lucerna non sub modio sit, *sed super candelabrum*, *ut luceat omnibus qui in domo sunt* (2). Nè igitur clericalis videatur militia sal infatuatum quod *ad nihilum valet ultra*, *nisi ut mittatur foras*, *et conculcetur ab hominibus* (3), scientia pro viribus ab ipsa custodiatur. Paveant igitur Clerici imperiti sententiam illam a Domino per Oseam enunciatam: *Quia tu scientiam repulisti*, *repellam te*, *ne sacerdotio fungaris mihi* (4). Ut autem lux

sub

(1) Matth. *Cap. V. v. 13. 14.*
(2) Id. *v. 15.*
(3) Id. *v. 13.*
(4) Os. *Cap. IV. v. 6.*

sub modio non remaneat, videant homines opera nostra *bona*, *et glorificent Patrem* nostrum *qui in Cœlis est* (1). Si bonum itaque nos operari oportet, audiamus iterum Deum ipsum loquentem per scripturas Sanctas. *Eritis mihi Sancti*, *quia Sanctus sum ego Dominus*, *et separavi vos a cæteris populis*, *ut essetis mei* (2). Electi de mundo, ut de mundo non simus (3) *nostra conversatio in Cœlis sit* (4). *In omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros*, *ut non vituperetur ministerium nostrum* (5), *et is qui ex adverso est*, *vereatur nihil habens malum dicere de nobis* (6).

I.

Ecclesiasticos cujuscumque gradus hujus nostræ Diœcesis habitu talari assidue uti enixe exhortamur: quod si lo-

(1) Matth. *Cap. V. v. 16.*
(2) Levit. *Cap. XX. v. 26.*
(3) Joan. *Cap. V. v. 19.*
(4) Ad Philippen. *Cap. III. v. 20.*
(5) II. ad Corint. *v. 3. 4.*
(6) Ad Titum *Cap. II. v. 8.*

locorum temporumque circumstantiæ huic nostræ menti adversantur, summopere cupimus, eo saltem uti dum pro celebratione ad Ecclesiam quis accedit. Novitios, vero, Clericos, in minoribus, vel sacris Ordinibus constitutos semper, et ubique habitu talari incedere expresse volumus: nec absque veste talari liceat Præceptoribus nostri Episcopalis Seminarii ad scholas eos admittere, sub pœna destitutionis ab officio; nec Parochi, Ecclesiarumque Rectores sub pœnis ad nostrum arbitrium, permittant præstari servitium per eos, qui absque talari habitu veniunt ad Ecclesiam.

II.

Qui justis de causis Sacerdotes in talari veste non incedunt, utantur habitu nigri, vel alterius modestissimi coloris, ac omni mundana vanitate carente; sphericam figuram servent eorum pilei alæ, quæ ad triangularem formam decenti modo reflexæ, nimis supra caput non extollantur. Calceamenta habeant honestis fibulis, vel globulis æneis, aut ferreis obstricta. Nimia in vestiendo diligentia, aut abjectio, quæ admirationem generat, æque declinetur. Ait enim Hyeronimus: *Ornatus, et sordes pari*

pari modo fugiendæ sunt, *quia alterum delicias*, *alterum inanem gloriam redolet* (1).

III.

Habeat unusquisque tonsuram pro qualitate ordinis, quæ renovetur saltem post quindecim dies; nec capilli dispositi sint æquali modo, quo a Laicis habeantur.

IV.

Omnis immunditia nec nominetur in nobis (2). Ut autem castitatis thesaurus, licet *in vasis fictilibus* custodiatur (3) evitent omnino Clerici cohabitare cum mulieribus extraneis, vel ad ipsas declinare familiariter conversandi causa. Quod si necessitas imperet, mulieres ad eorum famulatum, vel quasi famulatum admitti ordinarie non eligantur, nisi quæ in ætate saltem quinquaginta annorum constitutæ bonum testimonium habeant de vita, et fama.

V.

(1) Ad Nepotianum *Ep.* 2.
(2) Ad Ephes. *Cap. V. v.* 3.
(3) II, ad Cor. *Cap. IV. v.* 7.

V.

Loquatur Clericus *quæ decent sanam doctrinam* (1). Hinc devitans in privatis congressibus turpitudinem, aut stultiloquium, aut scurrilitatem, *quæ ad rem non pertinent* (2) instruat audientium animos vel errores detegendo, vel magnificando virtutes. Æquum est enim non ad voluptatem, sed ad utilitatem Clericos cum Laicis conversari.

VI.

Tanta sit Clericorum modestia, ac gravitas, ut ob reverentiam Sacerdotalis ordinis taceant ipsis advenientibus vel detractiones, vel irreligiosæ, aut inhonestæ, aut leves fabulationes. Quod si nec cessare auderent, minime super eos acquiescat Ecclesiasticorum præsentia, *quum per silentium et quietem Dei causa proditur* (3).

q VII.

(1) In Ep. ad Titum *Cap. II. v. 1.*

(2) Ad Ephes. *Cap. V. v. 4.*

(3) Nazian. *Orat. XXI.*

VII.

Nemo ex Ecclesiasticis in quocumque ordine, vel gradu constitutis audeat immisceri ludis, qui ab ancipiti fortunæ pendent eventu, ac proinde ludi quicumque vulgo dicti *di resto*, vel *d' invito*, nec publice, nec private permittuntur Clericis etiam prætextu secluso, quod parva compromittatur pecunia: quinimo vetitum sit eis forum aleatorium calefacere, et locum vel mensam præstare Laicis, qui hujusmodi audent ludis operam dare sub pœna suspensionis ipso facto incurrenda, atque ex nunc pro tunc expresse pronunciatæ. Cujuscumque autem generis ludi sub pœna suspensionis ferendæ sententiæ prohibiti sint Clericis omnibus in publicis officinis, in diversoriolis vernaculo idiomate *Caffè* nuncupatis, in simposiis, vel in pistorum dulciariorum, ac cupedinariorum, atque pharmacopolarum cellariis, vel in alio quocumque patenti loco, etiamsi horæ sint serotinæ, aut portæ clausæ, et præfigatur in prœmium aliquid in ipsis officinis propinatum. Similiter et pila, et rota lignea vel casea prohibitæ declarantur. Honestæ, moderatæque recreationis causa tollerantur ludi liciti, exiguoque proposito prœmio, qui exercentur in domibus bene moratis, seclusa publica admiratione, ipsiusque ludentis nimia sollicitudine.

VIII.

VIII.

Orationi instantes frugaliter vivant Domi se continentes; a congressibus nocturnis, ac saltationibus, ac spectaculis vanas, vel impudicas, fabulas repræsentantibus, et a profanis præsertim bacchanalium licentiis (1) se abstineant. Noctu incedere non audeant musicalibus instrumentis personantes, aut cantus sæculares quomodocumque exercentes.

IX.

Casas, vel cubicula fœminarum, aliarumque vilium personarum non adeant, nisi ex justa, et rationabili causa. Multo minus caupones ingredi ipsis liceat, ibique conventicula facere, ac familiaritatem inire cum personis si non pravi, saltem obscurissimi nominis, quod maximo dedecore, maximaque pernicie afficit universum Clericalem Ordinem.

 X.

(1) Bened. XIV. Const. incip. *Inter cætera.*

X.

Clerici vino servientes comparantur prorsus jumentis insipientibus: eosque gravissimis pœnis mulctandos per Nos declaramus.

XI.

Sæculares curas etiam licitas, quatenus a divino ministerio abstrahere possunt (1) Clerici non suscipiant. Mercaturam vero nec indirectam quidem et mediatam (2) ac sæcularia negotia præsertim in publicis mercatibus, et in nundinis exercere non audeant, nec turpe lucrum, aut usurarum exercitatio ipsos reddat *opprobrium hominum*, *et abjectionem plebis* (3).

XII.

(1) Can. Apost. *VII.*

(2) Bened. XIV. Const. incip. *Apostolicae servitutis*, Clem. XIII. Encycl. incip. *Cum primum.*

(3) Psal. *XXI. v. 3.*

XII.

Venatio, cum strepitu clamoribusque illam comitantibus, semper ab Ecclesia pro Clericis vetita, nec ullo umquam tempore permissa videtur. De nostra tamen venia minutæ venationis exercitium ad honestum levamen Clericis liceat, dommodo ætatis suæ trigesimum expleverint annum, nec ei vacent diebus festivis; aut prætermittantur quæ ad normam regalium sanctionum præscripta sunt pro impetrando permissu deferendi sclopum, quæque pro Clericorum in venando decentia a religiosissimo Rege nostro, sub die decimaoctava Junii anni 1827. statuta reperiuntur, nostrisque literis universæ Diœcesi patefacta.

XII.

Nemo ex Sacerdotibus, sub pœna suspensionis, aliisque ad nostrum arbitrium pro suo libitu nec emigret a propriâ Ecclesia, ad cujus servitium ordinatus fuit, nec residentiam in alio loco etiam hujus nostræ Diœcesis eligat. Id a nobis tantum, aut a nostro Vicario Generali permittendum erit, cognita prius legitima causa, et præsertim Ecclesiæ utilitate.

XIV.

XIV.

Lagant Clerici libros qui ad eorum instructionem, atque ædificationem valeant. Reicientes vanas lectiones, ac multo magis ab Ecclesia prohibitas, vel damnatas, scientiis potissimum sacris operam dare non prætermittant. Habeant igitur penes se Bibliam Sacram, Concilium Tridentinum, Cathechismum Romanum, aliosque libros, quos memoravimus in præcadenti Sess. Cap. V. N. 1. Quod si honestæ recreationis causa alicui lectioni vacandum erit, illæ elimenentur per quas animus vel directe, vel indirecte corruptionis periculo exponitur.

XV.

Ut clerici versentur in disciplinis Theologicis-Moralibus, sub pœna suspensionis præcipimus omnibus vel in Sacris Ordinibus, vel in presbyteratu constitutis, ut nullo se eximant prætextu a Congregationibus casuum conscientiæ per nostros prædecessores, ac per nos etiam repetitis notificationibus confirmatis. Vicarios Foraneos, Parochosque omnes distr icte oneramus, ut ad Nos, vel ad nostrum Vicarium Generalem referant, qui tam utiles necessariasque negligant Congregationes.

XVI.

XVI.

Ut Clerici omnes in minoribus, vel Sacris Ordinibus constituti, et in hac Civitate commorantes debitum honorem, ac reverentiam præstent proprio Episcopo, adsint semper omnes in Cathedrali Ecclesia iis diebus, in quibus Episcopus assistentiam facere solet, salvis iis quæ ex Decretis Sac. Congreg. *in Sorana*, et ex consuetudine a Collegiatis, et ab universo Clero hujusmet Civitatis præstantur Episcopo Pontificalia exercenti. Parochi igitur quoties Episcopus in Civitate adest; suos Clericos prædictis diebus ad Cathedralem Ecclesiam mittant, iis solummodo in Parochialibus retentis, qui necessarii erunt pro sacris functionibus in eis peragendis.

CAPUT II.

De Parochis.

Pascere oves Christi Parochorum est. Quod si ipsas non pascunt, nec eum diligunt, qui dixit ad Petrum: *Si diligis me, pasce oves meas* (1). Bonus itaque Pastor

Pa-

(1)

Parochus sit, qui cognoscat oves suas, et oves suæ cognoscant eum (1). Ad pascua salutis illas deducens, quod in commisso sibi grege *infirmum* viderit, consolidet; quod *ægrotum*, sanet; quod *confractum*, alliget; quod *abjectum* reducat; et *quod perierat*, quærat (2). Ad hoc autem ut tanto muneri respondeat Parochus *Christifideles sibi commissos portet in sinu suo, sicut portare solet nutrix infantulum . . . . . . ut verus Pastor, qui cum emiserit oves suas, ante eas vadit, pascat eas verbo, pascat exemplo* (3).

I.

Non solum in singulis Dominicis, festivisque diebus tenetur Parochus sacrificium offerre pro populo sibi credito, verum etiam omnibus illis diebus in quibus ad normam supralaudatæ Bullæ Pii VII. fel. record. quæ incipit; *Paterna charitate*: abrogatum est onus audiendi Sacrum (4).

II.

(1) Jo. *Cap. X. v. 14.*
(2) Ezech. *Cap. XXXIV. v. 4.*
(3) II. Synod. Prov. Neap. *Tit. VIII. Cap. 4.*
(4) Sac. Conc. *in Aquilana 18. Octobris 1818.*

II.

Licet de prædicationis munere, quod Parochis incumbit, plura in hac Synodo dicta reperiantur, præsertim *Sess. I. Cap. II. Art. I.*; attamen de Parochorum muniis hic ex professo loquendo, in eorum revocamus mentem omnia, et singula, quæ pro tanta, ac tam districta obligatione a sacrosancto Tridentino Concilio *Sess. V. de Reform. Cap. II.* statuta videntur.

III.

Sacramenta omnia, quæ in sua potestate sunt Parochus ægrotis non minus quam benevalentibus prompto alacrique animo per se administrare satagat. Quod et si de OEconomo in animarum cura sit provisus, sciat tamen ad se pertinere de ovibus (1).

IV.

Dissidentium familiarum animos, adhibito omni caritatis studio, componere curet. Sit orphanorum atque

(1) Joan. *Cap. X. v. 13.*

viduarum pater : periclitantis innocentiæ sollicitus vindex ac custos. Vigilet summopere pro arcendis inhonestatis scandalis, usuris, detractionibus, et blasphemiis, adhibendo paternæ correctionis salutari remedio. Adversus contumaces acriorem se exhibeat, et ubi nihil proficere ratus, Nobis detegat, ut robustiori refrenentur brachio.

V.

Non modo Parochorum est infirmis petentibus Sacramenta præbere; sed etiam non vocati ultro ad ægrotos accedere debent, ut eos visitent, suis colloquiis opportune reficiant, ac ad Sacramenta recipienda exhortentur, et excitent. Sciant demum sui officii esse ea adamussim adimplere, quæ de visitatione, et cura infirmorum in Rit. Rom. præscripta reperiuntur.

VI.

Tempore Adventus, Quadragesimæ, aliisque diebus solemnioribus per annum, nullus Parochorum, nisi ex urgentissima causa audeat a propria Ecclesia abesse; cæteris diebus vero de licentia Vicarii Foranei triduo tantum

abes-

abesse valeant : ultra triduum vero , nostra , vel nostri Vicarii Generalis licentia obtinenda erit . Etsi fortasse etiam unius diei sit absentia , nec permissa censetur, nisi idoneo pro animarum necessitate substituto Sacerdote.

CAPUT III.

De Canonicis Cathedralis , Collegiatarum , ac Participantibus Ecclesiarum receptitiarum.

Ecce quam bonum , et quam jucundum habitare fratres in unum (1). Quanti vero sit hæc jucunditas ipsum regalem audiamus Psaltem , qui eam comparare non dubitat unguento *in capite quod descendit in barbam, barbam Aaron ; quod descendit in oram vestimenti ejus* (2). Iterum eam comparat rori *Ermon* , *qui descendit in montem Sion* (3). Uberrimos autem ex hac jucunditate fructus percipere fas est , *quoniam illic mandavit Dominus bene-*

r 2

(1) Psal. *CXXXII. v. 1.*
(2) Id. *v. 2.*
(3) Id. *v. 3.*

nedictionem , *et vitam usque in sæculum* (1). Præsentia, ac Spiritu simul conjuncti stemus in Templo in officiis nostris (2). Servientes Domino in lætitia (3) bene psallentes ei in vociferatione (4), ut æmulantes in terris Angelorum Choros, cum ipsis interesse mereamur in Cœlis.

I.

Tam in Cathedrali, quam in Collegiatis, aliisque Ecclesiis; in quibus adest Chori obligatio servetur pro ingressu tabella oraria in nostris sanctis visitationibus approbata; nec ei arbitrario modo, vel justa, et gravi deficiente causa derogetur.

II.

Indecens est Canonicos vanis confabulationibus distractos expectare in Sagristia signum pro ingressu ad Chorum. At magis expedire videtur si Canonicali habitu indu-

(1) Psal. *CXXXII. v. 1.*
(2) II. Paralip. *Cap. VII. v. 6.*
(3) Psal. *XCIX. v. 1.*
(4) Psal. *XXXII. v. 3.*

duti modeste in ipso Choro sedentes, vel genuflexi signum præveniant, mentem animumque pro divini officii recitatione digne disponentes.

III.

Ea qua convenit dignitate, attentione, et devotione recitentur in Choro horæ Canonicæ. Nulla audiatur vocum dissonantia, nec quisque audeat submisse, aut privatim illas recitare. Omnis evitetur verborum præcipitatio, ac debitæ serventur pausæ tam in asterisco, quam in fine cujuslibet versiculi. Omnes simul sedeant, vel stent juxta rubricarum, consuetudinumque præscriptum. Unusquisque Canonicorum, vel Beneficiatorum occupet stallum sibi conveniens, nisi servitium Chori aliter suadeat. Multo minus vagare quis audeat de sede in sedem, quod vel publicæ esset admirationis, vel psallentium distractionis. Dignior in Choro curabit prædicta omnia per Canonicos adimpleri, quatenus neglecta videantur.

IV.

Missa conventualis, quæ omnino cantari debet, non

non obstante quacumque contraria consuetudine (1), celebretur post tertiam in festis duplicibus, et semiduplicibus, nec non in Dominicis, ac infra octavam. In festis simplicibus, et in feriis per annum dicta *Sexta*. In Adventu, Quadragesima, Quatuor temporibus, etiam infra octavam Pentecostes, et Vigiliis, quæ jejunantur, quamvis sint dies solemnes, Missa de tempore cantari debet post *Nonam* (2). Missæ vero defunctorum cantandæ sunt post *Primam*, et solemnes pro iisdem defunctis post *Nonam* (3). Missæ deniquæ votivæ, quæ solemniter celebrantur pro re gravi, vel publica Ecclesiæ causa cum populi frequentia, dicantur etiam post *Nonam* (4).

V.

Missæ votivæ non possunt suffragari pro Missa conventuali (5). Nec potest omitti altera ex duabus Missis cantandis de festo, et de feria (6). Id enim abusivum esset, ac proinde ex S. R. C. decreto, omnino reformandum (7).

VI.

(1) Sac. Rit. Cong. *28. Jan. 1612. in Osca.*

(2) Ex Rubricis generalibus Missalis *N. XV. de hora celebrandi Missam.*

(3) Id. (4) Id. (5) S. R. C. *16. Maii 1626.*

(6) S. R. C. *26. Maii 1626. et 28. Aug. 1628. in Burgens. et Tarentina.*

(7) *16. Jan. 1627. in Januen.*

VI.

Sacerdoti, qui celebrat Missam conventualem, eam prosequi vetitum est, dum a Choro cantatur Symbolum (1).

VII.

Unusquisque Canonicorum, vel beneficiatorum, vel participantium suum non omittant intra præfinitum tempus adimplere Missarum onus. Quod si duo supra terminum elapsi fuerint menses, quin Missæ celebratæ reperiantur; statim Parochi, Ecclesiarum Rectores, cæterique omnes, ad quos spectat, quorum conscientiam districte oneramus, doceant nostram Curiam de hujusmodi negligentia, ut per Nos, ac per nostrum Vicarium Generalem opportunis remediis, ac pœnis tantæ omissioni occurratur.

VIII.

Divina Officia celebrentur omnino in Choro majori. Quod si toleratur Officii recitatio in Choro hyemali, vel in

(1) S. R. C. in Benev. *13. Sept. 1630., et in Januen. 17. Decemb. 1695.*

in aliis designatis locis, ubi Chorus hyemalis non habetur, id intelligendum erit tantummodo pro mensibus frigidioribus in anno, quo tempore etiam excipiuntur dies festivi, nec non Missa ferialis quæ cantatur in Quadragesima, cum Vesperis, aliæque functiones, quæ in Altari Majori sunt etiam de consuetudine celebrandæ.

IX.

Nemo sub pœna suspensionis andeat cum ocreis Choro interesse.

X.

Ut Sacræ functiones digno ordine disponantur, ac peragantur, nec clamore turbentur, nec mutuis ministrorum correctionibus admiratio magis, quam ædificatio laicis præbeatur, habeant Capituli, ac Cleri Cæremoniarum Magistrum in scientiis liturgicis versatum ejusque servitium, hadhibita circumstantiarum opportunitate, inter merita non ultimo loco recensebitur.

XI.

XI.

Sacræ functiones peragantur ad normam Rubricarum generalium, ad præscriptum Pontificalis, et Cæremonialis Episcoporum, nec non juxta tradita a Rituali Romano, quæ districte, quacumque remota contraria consuetudine, etiam observanda curent tam in omnibus etiam Processionibus vel ex Rubrica, vel ex opportunitate faciendis, quam in precibus pro benedictione super fruges et vineas in die Sancti Marci, ac in Rogationibns præsertim adhiberi solitis, vel pro quacumque alia necessitate.

XII.

Canonici maxime diebus festivis celebrent in respectivis Ecclesiis. adhibito etiam opportuno intervallo pro majori Fidelium commoditate. Contravenientes gravissimis pœnis ad nostrum arbitrium obnoxios declaramus.

XIII.

Omnes ad Chorum addicti assiduum præstent servitium, alioquin Beneficii, quod possident, fructus non

ad substentationem, sed ad damnationem percipient. Neque propriæ conscientiæ satis provisum putent, ex eo quod punctaturæ subjiciuntur, cum punctatura non ad justificandam eorum voluntariam absentiam, sed ad negligentes excitandos, ac diligentiores ad Chori disciplinam faciendos inducta videatur. Notissimum est enim illud Ivonis Carnotensis dicentis = *Ut ad quas horas Canonicas panis interni refectio non movebat, panis corporei refectio provocaret.*

XIV.

Punctatores tam ex religione, quam ex justitia, omni adhibita diligentia, omnique posthabito humano respectu, officium suum impleant. Sciant punctaturæ obnoxios esse non solum eos, qui Choro absque legitima causa non interveniunt; verum etiam Officiis interessentes absque canonicali habitu (1), vel in Choro confabulantes (2), vel qui a Choro exeunt non petita, et ob-

(1) S. R. C. *In Lunen. Sarzanen. 3. Martii 1633.*

(2) Sac. Congreg. Episcop. *in Nucerina 7. Septemb. 1591.* Sac. Cong. Ep. in Aprutina 18. Apr. *1616. et Sac. Cong. Conc. in Lunen. Sarzanen. 3. Jun. 1702. ad 1.*

obtenta venia a Præfecto per salutationem, et annuentem responsionem.

XV.

In animum Canonicorum, vel Beneficiatorum, vel quomodocumque participantium revocantes districtissimum punctaturæ adimplementum, verba ipsius Tridentini Concilii repetere oportet. = *Distributiones vero, qui statis horis interfuerint, recipiant, reliqui, quavis collusione, aut remissione exclusa, his careant, juxta Bonifacii VIII. decretum quod incipit* = Consuetudinem =: *quod Sancta Synodus in usum revocat, non obstantibus quibuscumque statutis, et consuetudinibus* (1).

XVI.

Capitulum Cathedrale non minus quam unaquæque tam Collegiata, quam Receptita Ecclesia habeat Secretarium de suo gremio eligendum, per quem describantur præsertim in libro ad hoc confecto capitulares resolutiones, quæ per suffragia secreta fieri oportet.

(1) Sess. XXV. Decr. de Refor. *Cap. XII.*

XVII.

Habeat insuper unum, vel duos prout de more, qui de gremio sint Capituli, et saltem in Sacris constituti, Procuratores. Sit Procuratorum munus fideliter bona Capituli administrare, redditus exigere, ejusque agere causas, et in fine anni administrationis suæ iis, ad quos spectat, rationem omnino reddere.

XVIII.

Habeat denique Archyvistam pro Ecclesiæ Scripturis asservandis, Archiviumque duplici clave munitum, quarum una penes Archyvistam, altera penes Procuratorem remaneat.

CAPUT IV.

De Vicariis Foraneis.

Etsi absentes corpore, tamen præsentes Spiritu in unoquoque Diœcesis loco semper erimus, si Vicarii Foranei officium suum implere studuerint. Isti sunt enim, qui ad similitudinem eorum, qui quondam a Moyse in de-

deserto electi ut de minoribus judicarent populum, ad ipsum coadjuvandum sano consilio constituti fuere, *ne ultra vires ejus esset negotium* (1). Ad hoc autem ut imitentur eos a quibus quodammodo præfigurabantur, oportet et ipsos esse viros potentes virtute, *et timentes Deum* (2), in quibus præsertim *sit veritas* (3). Quod si ex quadam ignavia, vel ex habito respectu ad carnem, et sanguinem, Nos deceperint, sciant seipsos primum decepisse. Veniet enim dies in qua, latrante conscientia, forsan nimis sero exclamare cogentur: *Væ mihi quia tacui*! (4).

I.

Satagant Vicarii Foranei, ut Parochi per Sacramentorum administrationem, per instructionem, et Verbi Dei explanationem, per infirmorum curam, ac per indefessam vigilantiam, ministerium suum adimpleant. Sit eorum

mu-

(1) Exod. *Cap. XVIII. v. 18.*
(2) Id. *v. 21.*
(3) Id.
(4) Is. *Cap. VI. v. 8.*

muneris, ut sartetecta servetur Chori disciplina. In procuranda observantia Congregationum Casuum conscientiæ præsertim dent operam, ac Rectorum Ecclesiarum in suis Foraniis extantium promoveant, er augeant aptitudinem.

II.

Vitam, et honestatem Clericorum sedulo respiciant: instent pariter super Confessariorum officium: quod si aliquid reprehensibile in ipsis viderint, statim eos admonere curabunt, ac ubi graviores desiderandæ sunt providentiæ, ad Nos, vel ad nostrum Vicarium Generalem referant, ut eas impetrent.

III.

Æremitarum vitam ac mores semper examinent, nec absque nostris litteris patentalibus eis vel quæstuare, vel habitum æremiticum induere permittant. Specialem habeant curam de bonis Ecclesiæ, eorumque administratione, ut nemo iis abutatur, neque detrimento obnoxia reddantur.

IV.

IV.

Quarumcumque nostrarum dispositionum, ac præcipue præsentis Synodi exequtionem pro viribus curent; Nos enim de hoc oneratam eorum conscientiam maxime volumus.

V.

Renovamus quod in Synodo Gagliani, parte III. Cap. VII. N. VIII. legitur = *Singulis quibusque mensibus Nobis, vel nostro Vicario Generali epistolas mittant, omnia explicantes, quæ eo mense in eorum Vicariatu gesta sunt; quod facere non negligant, etiamsi nihil novi scribendum habeant, sub pœnis ad nostrum arbitrium pro qualibet omissione.* =

VI.

Mandamus tandem omnibus, et singulis de Clero in quocumque ordine, vel quocumque gradu constitutis, ut debitum præstantes honorem Vicariis Foraneis, ipsis in eorum munere obtemperent (ne inobedientiæ nota efficiantur) ac si Nobis, vel nostro Vicario Generali obtemperarent.

CAPUT V.

De Bonorum Ecclesiasticorum tutela, et administratione Locorum Piorum, et Regularium.

Ecclesiastica bona a Fidelium pietate non hominibus, sed Deo dicata, dispensatore potius quam possessore indigere noscuntur. *Hic jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur* (1). Quanta vero fidelitas in hoc munere sit observanda ab eo vel colligere possumus, quod non sæculare, sed Christi administratur patrimonium. Reminiscantur omnes, qui bonorum Ecclesiæ, quocumque jure tutelam servant, rationem reddituros esse non homini, qui videt ea quæ patent (2), sed Deo, quem occulta non latent. Tanta sit igitur eorum solertia, ut confidenti animo expectare valeant Dominum, qui revertetur positurus rationem cum eis, bene operantes pro apportato lucro remunerans, servum veró a bono opere

tor-

(1) 1. ad Corint. *Cap. IV. v.* 2.
(2) 1. Reg. *Cap. XVI. v.* 7.

torpentem damnans (1). Denique ut super pauca fideles inventi, in gaudium Domini ingredientes, super multa constitui mereantur (2).

I.

Unusquisque de bonis Ecclesiæ provisus, ex justitia, et religione tenetur ea servare, vel distracta pro posse recuperare.

II.

Anathematis gladio Papæ reservati, nec non aliis pœnis a Sacrosancta Tridentina Synodo *Sess. XXII. de Reform. Cap. XI.* comminatis, cæterisque censuris feriuntur ii, qui bona Ecclesiastica vel occupant, vel usurpant. Quibus omnibus excommunicationibus, pœnis, ac censuris pari modo subjacent Ecclesiastici quicumque occupationi, vel usurpationi consentientes (3).

t III.

(1) S. Greg. Pp. *Homil. XXIX. in Evang.*

(2) Matth. *XXV. v. 23.*

(3) Trid. loc. cit.

III.

Gravissimas censuras per Ecclesiam pluries comminatas meminerint incurrere omnes tam Ecclesiastici, quam Laici recidentes, vel incidentes, aut recidere, vel incidere mandantes arbores, et vites fructiferas in fundis cujuscumque Beneficii, ac Loci Pii. Quod si ligna infructifera, vel damnosa sint recidenda, hoc absque nostræ Curiæ licentia minime quis audeat.

IV.

Nemini liceat bona Ecclesiastica non solum quocumque modo alienare, vel hypothecare, verum etiam in emphyteusim, vel locationem dare ultra triennium (1). Quod si Ecclesiæ necessitas, vel utilitas aliter exigeret, opportunæ facultates omnino impetrandæ erunt.

V.

Emphyteusis non iniatur cum iis, qui bona sua possi-

---

(1) Ambitiosæ Pauli II. 1. *Martii 1467.*

sident juxta fines fundi quod conceditur. Cum vero necessariæ licentiæ obtentæ fuerint, nec perficiatur nisi prius secuta legali fundi mensura, ac omni legalitate adhibita, iterum de consensu partium finibus septum fuerit. Idem servatum volumus pro contractibus Locationis. Emphyteusim cum affinibus, vel consanguineis usque ad tertium gradum pariter vetitam declaramus, nisi constet de evidenti pro parte Ecclesiæ utilitate.

VI.

Quoniam ex luctuosa experientia nonnulla comperta sunt mala ex locationibus a Beneficiariis in favorem aliorum concessis, ideo ad evitandas læsiones in damnum Ecclesiæ, vel successorum, præcipimus in hujusmodi contractibus adhibendam esse pro parte Locatoris, atque pro parte Locatarii acceptandam conditionem, quod si Beneficiarius e vita decedat nondum consumato locationis triennio, non aliud Locatarium repetere posse, nisi fructus integros illius anni in quo mors sequta fuerit, declarata jam in favorem Ecclesiæ, vel immediati Successoris contractus rescissione pro annis forsitan remanentibus. Si enunciatam conditionem minime adhibendam,

vel acceptandam partes crediderint, volumus Parochos, Canonicos, vel alio quocumque titulo Beneficia possidentes a similibus Locationibus se omnino abstinere, sub pœna suspensionis ipso facto incurrenda.

VII.

Emphyteutæ Bonorum Ecclesiæ non audeant illa aliis vendere, concedere, aut in dotem matrimonialem assignare, inconsultis Ecclesiasticis, ad quos dicta bona spectant. Neque Locatarii id agant ex eo quod sui juris sit portio eorum, in quibus fundus melioratus extat.

VIII.

Omnia, et singula in præcedentibus numeris designata conveniunt etiam Regularibus, nec non paucissimis vix exceptis, competunt Administratoribus Locorum Piorum, quibus summopere incumbere debet gestio Loci sibi commissi.

IX.

IX.

Administratores prædicti litteris patentibus nostræ Curiæ sint muniti; nec ultra triennium, ordinarie loquendo, extendatur eorum munus. Quod si oscitantes inventi fuerint, etiam infra triennium ab officio removeri possunt. In fine vero cujusque anni rationem reddere tenentur Deputatis per Nos, vel per nostrum Vicarium Generalem electis.

X.

Caveant Administratores Locorum Piorum, vanam sectantes pietatem, copiosiores consumare redditus pro spectaculis, aliisque sæcularibus pompis in celebratione Sancti Titularis. Magis enim honoratur Deus, ac honorantur Cives Sanctorum si vanitate rejecta exteriorum apparatuum, providebitur Ecclesiæ cultui ob temporum vicissitudines Bonorum omnium mærore nimium neglecto.

CA-

CAPUT VI.

De Seminario.

Proverbium est, dixit Salomon = *Adolescens juxta viam suam, etiam cum senuerint non recedet ab ea* (1). In Hæbreo, Græco, et Chaldæo legimus = *Imbue puerum, vel instilla puero doctrinam, nempe sensim, et pro captu ætatis quoniam superfusam humoris copiam angustioris vasa respuunt.* (2). Hac methodo Juvenes in Seminario instructi, et portantes disciplinæ *jugum ab adolescentia sua* (3) *erunt sicut novellæ olivarum* (4) *plantatæ in Domo Domini* (5), *fructus honoris, et honestatis* (6) dantes in *tempore suo* (7). In Seminario, quasi in *absconditis suis* consiliabitur clericalis juventus

---

(1) Prov. *Cap. XXII. v. 6.*

(2) Trin. Commen. in universam Sacr. Scrip. *loc. cit.*

(3) Jer. Thren. *Cap. III. v. 27.*

(4) Psal. *CXXVII. v. 3.*

(5) Psal. *XCI. v. 14.*

(6) Ecclesiastici *Cap. XXIV. v. 23.*

(7) *Psal. I. v. 3.*

tus (1), quam si *Dominus magnus voluerit*, *spiritu intelligentiæ* replebit (2) et ipse *palam* faciens *disciplinam doctrinæ suæ* (3) *tamquam imbres mittet eloquia sapientiæ suæ* (4) ad erudiendos populos: nec deficient ex Clero quos mittet Dominus operarios in messem suam.

I.

Juvenes non admittantur in Seminario, nisi de vita et moribus bonum exhibuerint testimonium authenticum, atque omni fide dignum.

II.

Pie, ac religiose vivant litterarum studiis pro ingenii ac ætatis modulo vacantes. Inservientes huic nostræ Cathedrali Ecclesiæ diebus festivis, ad normam Sac. Concil. Trid. (5) gravitate, et modestia corporis populum ædifi-

fi-

(1) Ecclesiastici *Cap. XXXIX. v. 10.*

(2) Id. *v. 8.*

(3) Id. *v. 11.*

(4) Id. *v. 9.*

(5) Sess. XXIII. de Refor. *Cap. XVIII.*

ficent, ac in servitio præstando adamussim obediant Cæremoniarum Magistro.

III.

Maximam praestent obedientiam Rectori, Magistris, Praefecto, nec non urbani sint etiam cum famulis Loco addictis. Inobedientes primum corripiemus, et si contumaces erunt, e Seminario publice expellemus.

IV.

Nemini ex Seminarii adolescentibus licitum sit extra Locum pernoctare, vel comedere, vel etiam quocumque modo egredi, nisi de expressa nostra licentia justis de causis concedenda. Feriis autumnalibus, petita primum venia, absentes erunt, ac a die secunda, usque ad diem quartam Novembris revertentes, ferant secum Parochorum testimonia circa Sacramentorum frequentiam, aliaque laudabilia peracta feriarum tempore, alioquin rejicientur.

V.

V.

Janua Seminarii semper clausa teneatur, nec extraneus quis in eam ingrediatur, Rectore inconsulto. Pernoctare autem ibi nemini exterorum liceat, exceptis Rectore, Magistris, Æconomo, famulisque necessariis.

VI.

Ut Seminarii disciplinam Adolescentes perfecte noscere, atque adimplere valeant, semel in hebdomada, intermissa in Mensa lectione ordinaria, habeatur regularum lectio, quibus Rectorem, Magistros, Juvenes, famulosque omnes conformari omnino volumus.

VII.

Canonici deputati vigilent nobiscum pro recta Loci administratione, nec speculare prætermittant quæcumque æconomico regimini magis consentire viderint.

VIII.

Nemini ex adolescentibus patebit ingressus, nisi Rectori attestationem Æconomi Loci exhibuerit de primo soluto semestri, sicut etiam expellendos declaramus, qui alterum semestrem opportuno tempore anticipare negligent.

CAPUT VII.

De Sanctimonialibus.

Columbæ in *foraminibus petræ*, *in caverna maceriæ* (1), quæ lacte sunt lotæ (2). Virgines Deo Sacratæ sunt, quæ claustrali septæ custodia mystice *resident juxta fluenta plenissima* (3). *Sonet vox* earum in auribus Dei: *vox* enim earum in divinis laudibus *dulcis*, et *facies* earum in puritate decora (4). *Ascendant per desertum* in oratione sicut virgula fumi (5); et myr-

---

(1) Cant. *Cap. II. v. 14.*
(2) Id. *Cap. V. v. 12.*
(3) Id.
(4) Id. *Cap. II. v. 14.*
(5) Id. *Cap. III. v. 6.*

myrram per quam mortificatio designatur, *stillent manus* earum (1) Cogitantes semper quæ Domini sunt, virgines *sint sanctae corpore*, *et Spiritu* (2). Virtutis oleum custodientes in vasis, semper ad lampades suas ornandas sint paratæ, ut quocumque hora veniente Sponso exeant obviam ei, et cœlestis Agni nuptiis in perpetuas æternitates fruantur (3).

I.

Vota Deo facta semper præ oculos Sanctimoniales habentes, castam, obedientem, pauperamque in omnibus vitam ducant, ne in sua promissione infideles, Deo displiceant.

II.

Quanta solertia custodienda sit regularis Clausura colligitur præcipue ex Tridentina Synodo *Sess. XXV.* de Regularibus, et Monialibus *Cap. V.* cui apprime respondent fere innumerabiles Summorum Pontificium Consti-

(1) Id. *Cap. V. v. 6.*

(2) I. Corinth. *Cap. VII. v. 34.*

(3) Dan. *Cap. XII. v.* 3.

tutiones, ac Sacræ Congregationis Episcoporum, et Regularium decisiones. Hinc Moniales, sub pœna Excommunicationis majoris ipso facto incurrenda, ac Papæ reservata, professione emissa, nec ad quodcumque breve tempus præsumant e Monasterio exire, nisi ex aliqua legitima causa per Nos probanda, quæ quidem causæ expressæ habentur in Bulla Sancti Pii V. incip. = *Decori et honestati* = et sunt magnum *incendium*, *Lepra*, et *epidemia*, quibus etiam per Canonistas adjungitur *periculum* imminentis invasionis a militibus tempore belli, fluminis inundatio, ædificii ruina, vel aliud consimile gravissimum discrimen. At cessante causa statim intra Monasterium se recipere tenentur.

III.

Nec pueri, nec puellæ cujuscumque sint ætatis introducantur in Monasterium Monialium (1) Multo minus tollerandum erit, si puellæ ad libitum ingrediantur, et egrediantur (2), et Abbatissa, quæ hoc permitteret deponenda declaratur ab officio, et voce passiva (3).

IV.

(1) Trid. Sess. XXV. de Regul:, et Monial: *Cap. V.*
(2) Sac. Congr. Episc. *in Pistorien. 24. Febr. 1570.*
(3) Ead. Sac. Congr. *in S. Sever. 8. Maii 1596.*

IV.

Nemo sub pœna excommunicationis absque nostra, vel nostri Vicarii Generalis expressa licentia audeat ad Monasteria accedere pro colloquendo ad Crates cum ipsis Monialibus, Novitiis, Conversis, et Educandis, exceptis Consanguineis in primo, et secundo gradu, ac Affinibus in primo gradu: nec sub eadem pœna alloqui permittitur cum aliis ex prædictis, præterquam cum ea, pro qua obtenta fuit licentia.

V.

Regulares loquentes cum Monialibus cujuscumque affinitatis, vel consanguinitatis gradus, absque nostra, vel nostri Vicarii Generalis licentia, parcius etiam concedenda, non solum excommunicationem ipso facto incurrunt, verum etiam officii, vocisque activæ, ac passivæ privationi obnoxii fiunt, aliisque pœnis de jure afficiuntur (1).

VI.

(1) Sac. Congr. Conc. *11. Maii 1669. et 21. Maii 1678.*

VI.

Pro iis, qui auderent loqui de obscenis, vel actus impudicos exercere, renovamus quod sancitum reperitur a nostro Prædecessore Matthæo Gagliani *Par.* 3. *Cap. VIII.* = *Præcipimus insuper sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, et Nobis reservatæ tam mulieribus quibuscumque sive intrà, sive extra Monasterii septa degentibus, quam viris omnibus ad Crates, Januam, vel alium quemcumque locum colloquentibus, ne audeant verba obscena proferre, actus impudicos exercere; aut per internuncios hujusmodi mandata dirigere.*

VII.

Item N. X. = *sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ summo Pontifici reservatæ, nemo cujuscumque gradus, et conditionis sit sive sæcularis, sive Clericus, sive Regularis, audeat vel dici tempore septa Monasterii Monialium ingredi; quod si Clericus temere ingredi ausus fuerit, suspensus sit ipso facto, et si Beneficiatus erit, eo ipso sit Beneficio privatus, et fructus non faciat suos. Excipimus tamen eos,*

qui-

quibus ob necessariam operam, vel industriam a Nobis licentia in scriptis concessa fuerit.

VIII.

Confessarius, Medicinæ, vel Chirurgiæ Professores, Artifices, cæterisque omnes, quibus de nostra, vel de nostri Vicarii Generalis licentia permittitur ingressus ad Clausuram, non introducantur, nisi associati a duabus Monialibus, quæ, quoad fieri potest, ex senioribus deputentur, quod etiam in exitu servabitur. Recto tramite unusquisque ad locum accedat, quo pro suo munere explendo adeundum erit: enixe præcipimus ne divertere præsumant, nisi tantum ex justa, et rationabili causa.

IX.

Januæ tam interiores quam exteriores maxima custodiantur diligentia; nec aperiantur ante solis ortum, nec apertæ remaneant post signum serotinum Salutationis Angelicæ. Janua interior non pateat, nisi ex necessitatis causa, et præsertim pro introducendis eis, quæ per Rotam introduci nequeunt.

X.

X.

Personæ, quæ sine excommunicationis, aliarumque pœnarum discrimine, Clausuram ingredi possunt, solummodo sunt Reges, Reginæ, eorum filii, et filiæ cum suo decenti comitatu; quod privilegium ex communi opinione extenditur etiam ad Duces, Principes, Ducissas, ac Principissas suprema jurisdictione, et auctoritate gaudentes.

XI.

In eligenda Abbatissa, vel recipiendis Educandis, vel aliis peragendis negotiis ad Communitatem spectantibus, omnia fiant per secreta suffragia, quod et diversis Sanctionibus præscriptum reperitur.

XII.

Vita comunis quoad fieri potest omnino servetur, præsertim in Mensa, quæ non careat spirituali lectione, nec in ea omittatur lectio unius ex Capitulis Regulæ et Constitutionis arbitrio Abbatissæ.

XIII.

XIII.

Pro statu œconomico Monasterii, serventur eorum respectivæ regulæ, ac constitutiones; nec non ea adamussim adimpleantur, quæ præscripta sunt per Regales sanctiones die 27. Decembris 1815.

XIV.

Cæteræ excommunicationis pœnæ enunciatæ in Synodo Matthæi Gagliani. *Cap. de Sanctimonialibus*, quarum in præsenti capite non fit expressa mentio, nec per summos Pontifices, aut a Sacris Canonibus inflictæ fuere, abrogatæ censeantur.

CAPUT VIII.

De Sacrosanctis Ecclesiis,
et de Oratoriis publicis, et privatis.

Domum Domini decet Sanctitudo in longitudinem dierum (1). *Si* enim *Cœlum*, *et Cœli cœlorum non ipsum*

 ca-

(1) Psal. *XCII. v. 5.*

capiunt (1), quanto honore afficienda non erunt Templa, in quibus dignatur Dominus habitare *cum hominibus super terram*? (2). Respicit in ipsis orationes servorum suorum, et obsecrationes eorum. Aperit super domos istas oculos suos diebus, ac noctibus, et de cœlis propitiatur peccatis nostris (3). Diligamus ergo decorem domus ejus: digno illum frequentemus obsequio, adorantes locum, ubi stant Omnipotentis pedes (4). Jucundam apud eum faciamus mansionem, quoniam *melior est dies una in atriis Domini super millia* (5), dicamusque cum Propheta *Elegi abjectus esse in Domo Dei mei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum* (6).

I.

Parochi, Ecclesiarum Rectores, cæterique omnes de Clero vindicare non prætermittant reverentiam debitam

---

(1) II. Paralip. *Cap. VI. v. 18.*
(2) Id.
(3) Id.
(4) Psal. *CXXXI. v. 7.*
(5) *Psal. LXXXIII. v. 11.*
(6) Id. *v. 21.*

tam Domui Dei; nec aliquid in eis patiantur, per quod divina sit inhonorata Majestas, vel sacra perturbentur officia, vel fideles ab oratione distrahantur.

II.

Quoad fieri potest, viri seorsum a mulieribus maneant in Ecclesia, nec Laicis, secluso necessitatis casu, pateat Presbyterium, præsertim quando a Sacerdotibus sacra peraguntur, quinimo omni adhibita charitate illinc propulsentur ab eis, ad quos pertinet.

III.

Vasa Ecclesiarum omni decentiori modo serventur, et Parochi, ac Rectores vigilent, ut Patroni vel Altarium, vel Sacellorum, vel totius Ecclesiæ ea adimpleant, quæ ipsos respiciunt, ne sordescat Dei Templum, quod auro, omnique lapide pretioso ornatum esse deberet.

IV.

Vasa in ingressu pro aqua lustrali munda habeantur, ac ipsa aqua sæpius renovetur.

V.

Laici expectantes Missæ, vel aliarum functionum celebrationem, arceantur a Sacrariis, ne distractionem Sacerdotibus præbeant. Quinimo Confessarios monemus, ut virorum Sacramentales Confessiones non in iisdem Sacrariis, sed publice in Ecclesia excipiant, quod etiam ad aliorum ædificationem magis convenire videtur.

VI.

Ecclesiæ non aperiantur nisi illucescente cœlo: horis pomeridianis clausæ remaneant usque ad Vesperas. Iterum claudantur post signum serotinum Salutationis Angelicæ. Quod si populi frequentia aliter exigat, impetranda erit nostra, vel nostri Vicarii Generalis licentia, concedenda, cognita causa, cum adjectione convenientium cautelarum.

VII.

Oratoria tam publica, quam privata debito serventur decore. Quæcumque profana arceantur ab iis, ac ab omni

omni domestico usu sint separata ; alioquin interdicto subjicientur ,

VIII.

Nemo audeat Ecclesiam , vel publicum Oratorium sine nostra permissione de novo ædificare , et sine benedictione peracta , pro impositione primi lapidis , ac dote pro cultu , et manutentione constituta : si haud fecerint , interdictam , vel interdictum remanebit . Non enim sine dolore cordis intrinsecus cogimur videre abominationem in pluribus locis Sanctis , ac *lapides Sanctuarii dispersos in capite omnium platearum* (1) , ex eo quod nonnullæ fatiscentes Ecclesiæ omnibus necessariis pro reparatione sunt destitutæ . Oratorium privatum nemo construere audeat , nisi legitimis obtentis facultatibus , nec in eo celebrare liceat , nisi prius de nostro mandato recognitum fuerit , ac benedictum ad formam in Rit. Rom. præscriptam .

CA-

(1) Jer. Then. *Cap. IV. v. 1.*

CAPUT IX.

De Execquiis, et Sepulturis.

Nolumus vos ignorare, fratres, de dormientibus (1) ne Fidelium corpora, *qui in Domino moriuntur* (2), digno pietatis honorisque efficio careant, neve habeantur sicut corpora cæterorum, *qui spem non habent* (3). Corpora enim hæc *in jussu, et in voce Archangeli, et in tuba Dei resurgent* (4), *et rapientur in nubibus obviam Christo in aeram* (5). Caveamus igitur ne cadavera fidelium in communionem Ecclesiæ defunctorum contemnantur vel abjiciantur quoniam sicut dum viverent, membra Christi fuerunt, ita cum expectent in sepulcro beatam spem (6) *induent incorruptionem, et immortilitatem* (7) *et absorpta morte in victoria* (8) semper cum Do-

(1) Ad Thessal. *Cap. IV. v.* 12.
(2) Apocal. Cap. *XIV. v. 3.*
(3) Ad Thessal. *Cap. IV. v.* 12.
(4) Id. *v. 15.*
(5) Id. *v. 16.*
(6) Ad. Tit. *Cap. II. v.* 13.
(7) I. ad Corint. *Cap XV. v. 53.*
(8) Id. *v. 54.*

Domino erunt (1) gratias agentes Deo, qui dedit eis victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum (2).

I.

Parochi, aliique omnes, ad quos pertinet, summo studio adhibeant in Defunctorum exequiis Sacras Cæremonias et ritus, quibus Ecclesia uti solet (3).

II.

Nihil Parochi pro exequiis, vel pro sepultura pacisci audeant, vel titulo pretii exigant, sed tantum oblationes illas recipiant vel a consuetudine probatas; vel ab Ordinario constitutas (4). Quod si de vere pauperum exequiis, sepulturaque agatur, gratis omnino, decentique modo humanda erunt (5) eorum cadavera.

III.

(1) Ad Thessal. *Orat. IV. v. 16.*
(2) Ad Corint. *Cap. XV. v. 54.*
(3) Rit. Rom. *de Exequiis.*
(4) Id.
(5) Id.

III.

Exequiæ non celebrentur noctis tempore, nec post horam vigesimam quartam deferantur Cadavera ad Ecclesiam absque nostra, vel nostri Vicarii Generalis licentia, et Vicarii Foranei in Diœcesis Locis.

IV.

Ex recepto Ecclesiastico jure parœcianos in sua Parœcia sepelliri oportet, ubi viventes Sacramenta acceperunt. Excipiuntur tamen Monachi, Regulares, eorumque Novitii, et Oblati, qui intra Monasterii ambitum, vel Ecclesiam sepeliendi sunt. Excipiuntur Canonici, qui licet alibi habitent, in Ecclesia tamen Capituli humandi erunt. Item qui sepulcro gaudent suorum Majorum, sive gentilitium, sive familiare sit: nec non omnes qui sepulturam sibi eligere valentes, illam revera elegerunt; vel ipsis per hæredes electa fuit. Demum excipiuntur Peregrini, et Advenæ, qui in majori Parochiali Ecclesia semper tumulandi erunt.

V.

Locus pro sepultura is eligatur, in quo sit jus humandi, nec designatus locus profanus extet, alioquin electio erit nulla.

VI.

Quando quis extra Parochiam sepellitur, debetur eidem Parochiali Ecclesiæ *quarta funeraria* oblationum quovis nomine a Defuncto relictarum Ecclesiæ in qua monumentum fuit designatum. Non obstante autem nomine *quartæ*, hæc oblationis partitio censeri debet pro diversa consuetudine diversorum locorum.

VII.

Nemini, absque nostra licentia, liceat nova sibi condere sepulchra. Vetitum pariter est Parochis, vel Ecclesiarum Rectoribus (1), pavimentum pro cadaveris hu-

(1) S. Pius V. Const. 5. *Com. primum.*

humatione effodere; cum id de nostra venia sit tantummodo permittendum, quin ipsi vel Parochi, vel Rectores pro executione aliquid valeant recipere.

VIII.

Cadaverum conditoria Ecclesiæ, vel Sacellorum parietibus affigenda non sunt (1); nec defuncti condantur stantes, vel sedentes, sed collocati sint, quasi dormientes in Christo.

IX.

Nemo audeat quacumque ex causa Cadavera exhumare, nisi prius expresse adhibita fuerit nostra, vel nostræ Curiæ licentia, vel etiam Vicarii Foranei in angustia temporis.

X.

Ecclesiastici non tumulentur cum Laicis. Insuper convenit, ut mares habeant sepulcrum seorsim a fæminis, sicut etiam pueri ab adultis:

XI.

XI.

Sacris est canonibus institutum, ut quibus non communicamus vivis, nec communicamus defunctis, et ut careant Ecclesiastica sepultura, qui prius erant ab Ecclesiæ unitate præcisi, nec in articulo mortis Ecclesiæ reconciliati fuerunt (2). Hinc Rituale Romanum denotat eos, qui sepulturæ beneficio, et honore privandi erunt (3). Insuper Juri Canonico respondent in hoc Regno Regales Sanctiones ex pietate Francisci I. Serenissimi Regis nostri latæ (4), quæ seipsos voluntarie næcantes, ac in impœnitentia decedentes, quin ultima Sacramenta receperint, summopere inculcant ab Ecclesiastica sepultura excludere.

(1) S. Pius V. Const. 5. *Cum primum.*
(2) Innoc. III. regula *Cap. XII. de sepulchris.*
(3) De Exequiis. *Quibus non licet dari Ecclesiastica Sepultura.*
(4) Decret. *de die 16. Octob. 1826.*

XII.

Quibus prohibetur sepultura in Ecclesia, nec in Cœmeterio sepelliri licet, quod etiam declaratum expresse voluit in hoc Regno Ferdinandus I: fel. record., ac per ministeriales litteras Episcopis datas nonis Martii 1820. omnibus innotescere. Quinimo cui interdicta est Ecclesiastica sepultura, si in Ecclesia, vel in Cæmeterio humatus fuerit, exhumandus erit, et procul deponi, quoties ab aliis cadaveribus discerni queat (1).

CAPUT X.

De Quæstuariis.

Quid efficacius eleemosyna? *Eleemosyna resistit peccatis* (2). *Eleemosina a morte liberat, et non patietur animam ire in tenebras. Fiducia magna erit coram summo Deo Eleemosyna omnibus facientibus*

eam

(1) Innoc. III. *loc. supracit.*

(2) Eccles. *Cap. III. v. 33.*

eam (1). Ad hoc autem ut vere pauperes tanto perfruantur bono, nec illud sibi vindicare audeant ii, qui vel ex affectata paupertate, vel etiam ex aviditate quæstuare præsumunt, nonnulla quæ hoc loco opportune tradenda judicavimus, omittere passi sumus.

I.

Nemini ex quocumque prætextu liceat absque nostra, vel nostri Vicarii Generalis licentia quæstuas instituere, illis exceptis, quæ expervetusta consustudine, ac numquam interrupta fiunt.

II.

Quoniam nonnullæ Ecclesiæ omni redditu destitutæ nonnisi a fidelium pietate manutentionem repetere debent; ideo non ab aliis quam a Nobis, vel nostra Curia danda erit quæstuandi facultas, quæ non concedetur, nisi cognita necessitate, Questuariis designatis, aliisque utiliter servatis ad præscriptum Politiæ Generalis hujus Regni.

III.

(1) Tob. *IV.* v. 11. 12.

III.

Eremitæ nonnisi de nostris litteris patentalibus munitis, aliisque de jure, quæstuare haud præsumant sub pœna dimittendi habitum, cæterisque pœnis in hoc Regno (1) comminatis.

IV.

Illis qui vel titulo conversionis ad fidem orthodoxam, vel quocumque alio pio titulo pro eleemosyna vagantur, inhibitum omnino id sit, quousque per Nos, aut per nostrum Vicarium Generalem fidelium pietati commendati non fuerint.

CAPUT XI.

De Usuris, et Furtis.

Qui ad *usuram non commodaverit, et amplius non acceperit . . . . hic justus est : vita vivet, a it Dominus Deus* (2). Insuper, *qui pecuniam suam non de-*

(1) Instruz. *de' 29. Dicembre 1826.*
(2) Ezech. *XVIII. v. 8. 9.*

dedit ad usuram, habitabit in Tabernaculo Dei: requiescet in monte sancto ejus (1). *Qui autem coacervat divitias usuris, et fænore* (2) *thesaurizat sibi iram in die iræ* (3), nec illis perfruetur, quoniam, Is, qui *ex usuris, et iniquitate redimet animas pauperum* (4), occulta sua providentia *liberali in pauperes* (5) *congregabit eas*. Sint potius divites misericordes in pauperes, sicut et Pater eorum misericors est (6), et in Domino confisi misericordiam illam expectent consequi, quæ in Evangelio misericordibus repromissa invenitur (7). Pertimescant insuper usuram exercentes humanarum legum recentiora jacula per vigilantissimum Regem nostrum comminata, qui divinarum vindex et custos, nihil pro suo regali munere ex eis prætermittendum putat, per quæ, rerum servata justitia, in medio subditorum suorum prosperitas augeatur (8).

I.

---

(1) Psal. *v v. 1. 5.*
(2) Prov. *Cap. XVIII. v. 8.*
(3) Ad Rom. *Cap. II. v. 5.*
(4) Psal. *LXXI. v. 14.*
(5) Prov. *Cap. XVIII. v. 8.*
(6) Luc. *Cap. VI. v. 36.*
(7) Math. *Cap. V. v. 7.*
(8) Regalis sanctio publicata sub die 14. Maii 1828.

Mutuum date nihil inde sperantes, et erit merces vestra multa, et eritis filii Altissimi, quia ipse benignus est super ingratos, et malos : ab ore Christi (1) accepimus. Ex qua divina sententia sequitur, *omne lucrum*, ut Benedicti XIV. verbis utamur, *ex mutuo, præcise ratione mutui, uti loquuntur Theologi, hoc est lucri cessantis, damni emergentis, alioque extrinseco titulo remoto*, usurarium atque *omni Jure Naturali, scilicet, Divino, et Ecclesiastico, illicitum esse, perpetua fuit, et est Catholica Doctrina, omnium Conciliorum, Patrum, et Theologorum unanimi consensione firmata* (2). Quibus omnibus pro majori communi intelligentia adjicere nec dubitamus, quod ut aliquid licite pro mutuo exigatur, requiritur omnino, ut *expresse* adsit vel lucrum cessans, vel damnum emergens; præterea, quod tituli hujusmodi lucri, vel damni in pactum deducantur.

II.

(1) Luc. *Cap. VI. v. 35.*

(2) De Syn. Diœces. *Lib. X. Cap. IV. N. II.*

II.

Quicumque pro negotiatione inhabiles inveniuntur, vel voluntatem negotiandi non habuerint, vel deposuerint, aut commutaverint cum voluntate mutuandi; nec non omnes qui ex data pecunia nullum patiuntur detrimentum, *mutuum* supradictum, scilicet cum fructu, facere prohibentur, ita ut si aliquid etiam minimum ratione mutui exigant, usurarium omnino censeatur.

III.

Quibus itaque, juxta tradita superiori numero, licitum est mutuum dare cum aliquo fructu, tantam exigant fructus mensuram, quanta convenit circumstantiis negotiorum, quæ peraguntur, habito respectu locorum, ac temporum, deductisque deducendis, præsertim pro expensis, ac pro evitato sortis periculo. Nec in re tanti momenti aliquid præsumere audeant, quod apprime non respondeat regali sanctioni pro mutuo emanatæ die decimaquarta currentis Mensis, et anni, ac speciatim Articulo secundo ejusdem sanctionis.

IV.

Fructus pro mutuo maturandi, cum ipso mutuo coacervari nequeunt, ita ut si aliquis centum mutuetur cum fructu ex. gr. Ducatorum quinque, non ponat in Cautelis se dedisse centum et quinque, sed tantum Centum exponat cum fructu Ducatorum quinque.

V.

Quod illicitum pro parte mutuum dantis, æque illicitum est pro parte accipientis: *Nam peccatores peccatoribus fænerantur ut recipiant æqualia*: verba sunt Evagelii (1). Excepto casu gravis necessitatis pro mutuatario juxta Doctoris Angelici Doctrinam (2).

VI.

Qui boves propria emit pecunia, eosque colono tradit ad saginandum, vulgo *ad ingrassare*, sortem a colono repetere non poterit, si absque coloni culpa boves pereant,

(1) Luc. *Cap. VI. v. 34.*
(2) 22. *Qæst. 78. Art. 4.*

reant, cum in hoc casu animalia ipsi Domino perire debeant. Quinimo nec lucrum aliquod emptor a colono repetere valebit, si absque coloni incuria, nullum ex animalium venditione habeatur lucrum. Ultra lucrum exigere etiam a colono certam frumenti quantitatem eo quod boves dati fuere a *migliorare*, si boves ad arandum non sint addicti, id etiam illicitum omnino censeri debet. Quod si aliquod aliud pactum pro hac re intercesserit inter emptorem et colonum, tale sit ut in eo serventur adamussim perfectæ societatis leges, per quas omnia ad eam reducantur æqualitatem, quam respicit semper justitia commutativa; nec fiat nisi adhibito prius Confessarii, vel alicujus docti, prudentisque viri consilio.

VII.

Vendere frumenta, vel alia quæcumque ultra supremum prætium ob datam dilationem pecuniam solvendi, usura est.

VIII.

Anticresis, seu contractus a *godere*: contractus per quem datur frumentum quodcumque malæ qualita-

tis ut bona in eadem mensura reddatur, vel per quem repetitur *a colmo* quod datum est *a raso*, aliique vel notorie, vel palliate læsivi, omnes illiciti sunt. Vix fas est aliquid indemnizationis exigere pro frumento vulgo dicto *Granodindia*; secus vero si titulo præstitus datum fuerit exiccatum, et recipiendum sit viridum tempore messis.

IX.

Tam Notarii, quam alii qui scribere valent folia *synalagmatica*, vulgo *doppio originale*, ut firma unius, vel utrarumqae partium roborentur, aut quascumque alias conficere cautelas abstineant a rogando, vel scribendo illicitos contractus, sub pœnis ab Ecclesia statutis (1).

X.

Bona inventa in Domini detrimentum, quasi jure acquisita, retinere furtivum omnino est, et absolutionis beneficio privandi sunt, qui ea non restituunt, nec absolvantur qui scienter e manibus furis res involatas, ac sæpius vilissimo prætio acquiruntur, nisi juxta leges in morali traditas secuta fuerit restitutio.

DE-

(1) Fagn. n. 18. S. Antonini sec. part. tit. I. Cap. 9. §. 6. alibique.

DECRETUM

De Synodi observantia

Ut omnia et singula quæ in præsenti nostra prima Synodo legitime congregata, et peracta sancire decernuimus, plenariam habeant executionem, præcipimus ea adamussim servari in hac nostra Sorana Diæcesi. Quæ vero in Synodo Matthæi Gagliani, aliisque Nostrorum Prædecessorum constitutionibus definita, vel inducta reperiuntur, in suo remaneant vigore, dummodo præsenti Synodo vel abrogatæ non fuerint, vel aliter circa ea dispositum videatur. Curent ergo maxime Vicarii Foranei, Parochi, Ecclesiarum Rectores, cæterique de Clero, nec non Laici ipsi ad quos spectat prædictorum omnium adimplementum, ut totius Civitatis ac Diæcesis Cleri zelus, neq. non Fidelium Nobis commissorium pietas, ad majorem Dei omnipotentis laudem, et gloriam de die in diem in virtutes proficiat.

DECRETUM

De Synodi conclusione, et dimissione.

Nos Andreas Lucibello Dei, et Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Soræ, Aquini, et Pontiscurvi, SS.mi Domini nostri Leonis Papæ XII. Prælatus Domesticus, ac Pontificio Solio Assistens, eidemque S. Sedi immediate Subjectus in hac Diœcesana Synodo Præsidens, sub iisdem sacris auspiciis quibus hanc Synodum incepimus, et inceptam declaravimus, eamdem concludendam, et conclusam esse decernimus. Liberum itaque unicuique sit post nostram benedictionem ad suas reverti Ecclesias, omnes in Domino enixe exortantes, ut ea solertia, ac vitæ integritate suis in posterum ministeriis vacent, per quam cognoscant fideles non mediocrem fructum ex hoc Synodali congressu Clerum in Domino retulisse.

SY-

SYNODALIS ACTUS.

Illustrissimus, et Reverendissimus Dominus D. Andreas Lucibello Episcopus Soranus etc. etc. Spirituali bono hujus Diœcesis consulere in Domino summopere cupiens, Diœcesanam Synodum convocare statuit, quam temporum vicissitudines, novumque Concordatum enixe exposcebant. Designata jam pro hujusmodi celebratione Sacra Pentecostes die cum proximioribus sequentibus feriis, in Cathedrali Ecclesia, Epiphania Domini recorrente, inter Festa Mobilia ad normam Pontificalis Romani publice annuntiata est. Opportuno tempore datum fuit convocationis edictum, quod ad valvas hujus Cathedralis Ecclesiæ, omniumque Parrochialium, Collegiatarum, et Receptitiarum tam Civitatis, quam Diœcesis Ecclesiarum stetit; in eoque preces, supplicationesque ad Deum pro tanti operis felici exitu præscriptæ fuere, ac instructiones adjunctæ pro Clero in Synodo servandæ.

Die decima nona, necnon duabus sequentibus hujusmet Mensis in Episcopali Palatio, ac proprie in privatis mansionibus Illustrissimi, et Reverendissimi Do-

Domini Episcopi, vocato coram prælaudato Domino, Reverendissimo Capitulo Cathedralis, nempe Reverendissimis DD. Canonicis D. Angelo Muscella Decano, Primoceriatu vacante, D. Paschali Antonio Nola, D. Josepho Maria Silvestri, D. Josepho Lanna, J. U. D. D. Josepho Canonico Theologo Amonii et Pro-Vicario Generali, J. U. D. D. Ignatio Carnevale, D. Aloysio quondam Basilii Fortuna, D. Antonio Jucci, D. Aloysio Pellegrini, S. T. P. D. Paschali Canonico Pœnitentierio Baldassarra, S. T. P. D. Antonio Muscella, et D. Francisco Maria Renzi, deficiente tantummodo D. Nicolao Marini legitime impedito, costituentibus integrum Capitulum. Suprascriptis omnibus capitulariter congregatis, terpartitis vicibus, alta et intelligibili voce lecta fuere decreta in proxima Synodo evulganda, quæ et ab ipsis commendata summopere fuerunt.

Die igitur sancta Pentecostes, Illustrissimus, et Reverendissimus Dominus de mane hora duodecima associatus a Capitulo Cathedralis, ac universo Clero, eo modo quo in istructionibus præscripto, accessit ad Cathedralem Ecclesiam, prætiosis paramentis undique ornatam, sericis, aurifrygiatisque pannis ab imo ad summum

mum elegantiori structura interius coopertam, in qua et Synodalis Consessus ita dispositus videbatur. Stalla Chori Majoris erant pro Reverendissimis DD. Canonicis Ecclesiæ Cathedralis, et in fine Chori duæ Mensæ paratæ cum respectivis sedibus; una, nempe, in cornu Evangelii pro Reverendissimo D. Pro-Vicario Generali, apud quem in parvo scanno nudo sedebam ego infrascriptus Synodi Notarius; et altera pro Synodi Promotore apud quem in alio parvo scamno etiam nudo Synodi Secretarius. Apud Mensam pro iis ad Pontificalia necessariis sedebat e cospectu Throni Rev. D. Stephanus Baldassarra unus ex Theologis Illustrissimi et Reverendissimi Domini, quoniam alter ex ipsis, nempe Reverendiss. D. Paschalis Canonicus Pœnitentiarius Baldassarra sedebat in proprio Stallo Chori. In Præsbyterio post Sedem Episcopalem erant scamna hinc inde disposita ad formam semicircularem. In primis scamnis e Cornu Evangelii sedebat Præpositus, Canonici, et Beneficiati insignis Collegiatæ et Parochialis Ecclesiæ Sanctæ Restitutæ, et in fine Collegiatæ Abas Curatus insignis Parrochialis Ecclesiæ Sancti Joannis Baptistæ hujus Civitatis. In primis scamnis e Cornu Epistolæ sedebat Archypresbyter, et Canonici insignis Collegiatæ

 et

et Parrochialis Ecclesiæ Sancti Bartholomei, et in fine Collegiatæ Abas Curatus insignis Parrochialis Ecclesiæ Sancti Silvestri hujusmet Civitatis. A tergo Collegiatæ Sanctæ Restitutæ in scamnis posterioribus sedebat Abas, et Canonici insignis Collegiatæ et Parrochialis Ecclesiæ Sancti Michaelis Archangeli Civitatis Arpini, post quos in eodem gyro sedebant Canonici insignis Collegiatæ et Parrochialis Ecclesiæ Sancti Andreæ Civitatis prædictæ. A tergo post Capitulum Sancti Michaelis sedebat in posterioribus scamnis Capitulum Collegiatæ et Parrochialis Ecclesiæ Sancti Simeonis Civitatis Albeti, et in eodem gyro Capitulum insignii Collegiatæ et Parrochialis Ecclesiæ Sancti Stephans Terræ Fontanæ. A tergo Capituli Sancti Simeonis sedebat in ultimo scamno Abas, et Canonici insignis Parochialis, et Receptitiæ Ecclesiæ Sanctæ Mariæ, et Sancti Marcelli Terræ Sancti Donati; et in eodem gyro Archypresbyter, et Canonici insignis Collegiatæ et Parrochialis Ecclesiæ Sanctæ Crucis Terræ Castellutii. A tergo vero Capituli Sancti Bartholomei e Cornu Epistolæ sedebat in scamnis posterioribus Archypresbyter, et Canonici insignis Collegiatæ et Parrochialis Ecclesiæ Sanctæ Mariæ Falconariæ Civitatis Arpini,

ac

ac prope eos in eodem gyro Archypresbyter, et Canonici insignis Collegiatæ et Parrochialis Ecclesiæ Sancti Viti Civitatis prædictæ. A tergo Capituli Sanctæ Mariæ Falconariæ in scamnis posterioribus, Capitulum insignis Collegiatæ et Parrochialis Ecclesiæ Sancti Laurentii Terræ Picinisci, et in eodem gyro Archypresbyter, et Canonici insignis Collegiatæ et Parrochialis Ecclesiæ Terræ Insulæ. A tergo Capituli Sancti Laurentii in ultimis scamnis sedebat Archypresbyter, et Canonici insignis Collegiatæ, et Parrochialis Ecclesiæ Sanctorum Joannis Baptistæ, et Evangelistæ Terræ Gasalverii; et prope prædictos in eodem gyro Archypresbyter, et Canonici insignis Parrochialis Ecclesiæ S. Michaelis Castri Brocci. Prope gradus Presbyterii, dispositis jam consueto more sedibus ad usum Auctoritatum Laicarum, stabant ab utraque parte scamna, ubi sedebant cæteri Parrochi, Canonici, Participantes, aliique de Clero tam Civitatis, quam universæ Diœcesis.

Illustrissimus et Reverendissimus Dominus, præmissis omnibus et singulis de more; sacrisque paramentis assumptis in Choro hyemali, solito processionali ritu perrexit ad Altare Majus Missam Pontificalem ce-

lebraturus, cui juxta solitum Reverendissimi DD. Canonici Cathedralis Ecclesiæ assistentiam præstiterunt Pluviali induti, Præpositus et Canonici Ecclesiæ Sanctæ Restitutæ sicuti etiam Archypresbyter et Canonici Sancti Bartholomei; necnon Abates Curati Ecclesiarum Sancti Joannis Baptistæ, et Sancti Silvestri Planeta parati, cæterique vero respectivis choralibus insignibus, vel superpelliceo induti.

Missa Pontificali expleta, ac supra rocchetum amictu, et pluviali assumpto, necnon mitra pretiosa, baculum pastoralem in manu ferens idem Illustrissimus et Reverendissimus Dominus, medius inter Canonicos Diaconum et Subdiaconum paratos venit ad Faldistorium ante Altare locatum, ubi genuflexus, deposita Mitra intonavit Antiph. Exaudi nos etc. *quæ prosequta fuit per Cantorum Scholam, statim adjecto in tono* 8. *Psalm.* 68. Salvum me fac Deus etc. *quo incepto regressus ad Episcopalem sedem, et Mitra assumpta, in ea mansit, donec expleto, et repetita Antiph. Mitram deposuit, ac versus Altare dixit Orationem* Adsumus Domine etc. *qua finita ab omnibus responsum fuit* Amen. *Postea recitata fuit altera Oratio*: Omnipotens sempiternae etc. *His expletis, accepta Mitra, iterum venit*

ad

ad Faldistorium, ubi procumbens, cæteris omnibus genuflectentibus, dictæ fuerunt per Cantores Litaniæ Sanctorum; *et post verba* ut Omnibus fidelibus defunctis etc. *surgens baculumque pastoralem in sinistra tenens, versus ad Synodum dixit*: Ut hanc præsentem Synodum visitare, disponere, et bene ✠ dicere digneris etc. *Litaniis per Cantores perfectis Pontifex mitra deposita dixit Orationem* Da quæsumus etc. *Mitra resumpta, et ad Sedem Episcopalem reversus, imposito incenso in thuribulo, a Canonico Diacono suis paramentis induto, benedictione accepta, et solitis adhibitis cæremoniis, Canonico Subdiacono Librum tenente cantatum fuit Evangelium* Convocatis Jesus etc.; *quo expleto Librum osculavit per eumdem Subdiaconum delatum, ac de more thurificatus est.*

Tum idem Pontifex in plano solii genuflexus, detecto capite, cæterisque in suis locis genuflectentibus, incepit cantando, Schola proseguente Veni Creator Spiritus etc. *Primo versu absoluto, stetit sine Mitra usque ad finem Hymni; qua de novo assumpta, sedens ipse, omnibusque sedentibus, suam alloqutionem ad Clerum habuit.*

Su-

Supradictis omnibus peractis, accedens Reverendiss. J. U. D. D. Joseph Canonicus Theologus Annonj Pro-Vicarius Generalis ad Illustriss. et Reverendiss. Dominum Episcopum reverenter detulit ei Sacrosanctum Concilium Tridentinum, ac decreta præliminaria, quæ ab eodem tradita Rev. D. Thomæ Beneficiato Lanna Synodi Secretario, è suggestu quò Secretarius prædictus ascendit medius inter duos Clericos Seminarii, alta et intelligibili voce promulgata fuere usque ad decretum VI. exclusive.

Instante postea J. U. D. Reverendiss. D. Ignatio Carnevale hujus Cathedralis Ecclesiæ Canonico, et Synodi Promotore, ac annuente Illustriss. et Reverendiss. Domino, lato Decreto VI. lectum fuit per eumdem Secretarium Caput II. Sess. XXV. Sacrosancti Æcumenici Tridentini Concilii de Reform. *pro Fidei professione in Synodo facienda, quæ ab omnibus ad quos spectabat emissa fuit, sequenti formula servata.* Ego N. N. firma fide credo, et profiteor omnia, et singula, quæ continentur in Symbolo Fidei, quo utitur Sancta Romana Ecclesia, videlicet: Credo in unum Deum Patrem Omnipotentem Factorem Cœli, et Terræ, visibilium omnium, et invisibilium; et in unum Dominum Jesum Chri-

Christum Filium Dei Unigenitum, et ex Patre natum ante omnia sæcula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero; Genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt; Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de Cœlis, et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, et Homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus, et sepultus est, et resurrexit tertia die secundum scripturas, et ascendit in Cœlum, sedet ad dexteram Patris, et iterum venturus est cum gloria judicare vivos, et mortuos; cujus Regni non erit finis; et in Spiritum Sanctum Dominum, et vivificantem, qui ex Patre, Filioque procedit, qui cum Patre, et Filio simul adoratur, et conglorificatur, qui loquutus est per Prophetas; et unam sanctam Catholicam, et Apostolicam Ecclesiam: confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum: et expecto resurrectionem Mortuorum, et vitam venturi sæculi. Amen.

Apostolicas, et Ecclesiasticas traditiones, reliquasque ejusdem Ecclesiæ Observationes, et Constitutiones firmissimè admitto, et amplector. Item Sacram Scripturam, juxtà eum sensum, quem tenuit, et tenet Sancta Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu, et interpre-

tatione Sacrarum Scripturarum, admitto; nec eam unquàm, nisi juxtà unanimem consensum Patrum accipiam, et interpretabor. Profiteor quoquè septem esse vera, et propria Sacramenta novæ Legis, à Jesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licèt non omnia singulis necessaria, scilicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, et Matrimonium, illaque gratiam conferre, et ex his Baptismum, Confirmationem, et Ordinem sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoquè, et approbatos Ecclesiæ Catholicæ Ritus in supradictorum omnium Sacramentorum solemni administratione recipio, et admitto. Omnia, et singula, quæ de Peccato Originali, et de Justificatione in Sacrosancta Tridentina Synodo definita, et declarata fuerunt, amplector, et recipio. Profiteor pariter in Missa offerri Deo verum, proprium, et propitiatorium Sacrificium pro vivis, et defunctis, atque in Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento esse verè, realiter, et substantialiter Corpus, et Sanguinem unà cum Anima, et Divinitate Domini nostri Jesu Christi, fierique conversionem totius substantiæ Panis in Corpus, et totius substantiæ Vini in Sanguinem, quam conversionem Catholica Ecclesia transubstantiationem appellat.

Fa-

Fateor etiam sub altera tantùm specie totum, atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi. Constanter teneo Purgatorium esse, Animasque ibi detentas Fidelium suffragiis juvari. Similiter et Sanctos unà cum Christo regnantes venerandos, atque invocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum Reliquias esse venerandas. Firmiter assero Imagines Christi, ac Deiparæ semper Virginis, necnon aliorum Sanctorum habendas, et retinendas esse, atque eis debitum honorem, ac venerationem impertiendam. Indulgentiarum etiam potestatem à Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum Christiano populo maximè salutarem esse affirmo. Sanctam Catholicam, et Apostolicam Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum Matrem, et Magistram agnosco. Romanoque Pontifici, Beati Petri Apostolorum Principis successori, ac Jesu Christi Vicario veram obedientiam spondeo, ac juro. Cætera item omnia a sacris Canonibus, et Oecumenicis Conciliis, ac præcipuè à sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita, et declarata indubitanter recipio, atque profiteor; simulque contraria omnia, atque hæreses quascumque ab Ecclesia damnatas, rejectas, et anathematizatas ego pariter damno, rejicio, et anathematizo. Hanc veram Catholicam Fidem

extrà quam nemo salvus esse potest, quam in præsenti spontè profiteor, et veraciter teneo, eamdem integram, et inviolatam usque ad extremum vitæ spiritum constantissimè (Deo adjuvante) retinere, et confiteri, atque à meis Subditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri, et prædicari, quantum in me erit, curaturum.

Et omnes confirmarunt super sacrosancta Evangelia singillatim dicentes: Ego idem N. N. spondeo, voveo, ac juro: sic me Deus adjuvet, et hæc sancta Dei Evangelia.

Statim perlectæ fuerunt Constitutiones Sacrosancti Tridentini Concilii dè Residentia, *quæ habentur Sess. XXIII.* de Reform. *Cap. I. ac Sess. VI.* dè Reform. *Cap. I.*

Deinde istante iterùm Reverendissimo Synodi Promotore, ac annuente Pontifice, electi, et approbati fuerunt Examinatores, et Judices Synodales, qui accedentes ad prælaudatum Pontificem singuli juramentum super sacrosancta Evangelia in ejus manus præstiterunt, adhibita respectivo modo, sequenti formula: Ego N. N. Examinatoris, *vel* Judicis, officium quod suscipio, spondeo, voveo, ac juro me, quacumque humana affectione post-

po-

posita, fideliter, ac sincerè, quantum in me erit, exequuturum: sic me Deus adjuvet, et hæc sancta Dei Evangelia.

Pro electione vero Testium Synodalium ostendit Secretarius Schedam Episcopali sigillo obsignatam in qua eorum nomina occultabantur; itque ad juramentum in secreto præstandum reservati fuerunt.

Cumque adhuc suppederet tempus, Reverendiss. Canonicus Promotor institit apud Illustriss. et Reverendiss. Dominum pro pubblicatione Synodalium Sanctionum; earumque omnium quas prima Sessio complectebatur, facta fuit pér supradictum Secretarium alta et intelligibilis lectio.

Interea hora nimium protracta, intermissa fuit pubblicatio, indicta altera Sessione pro sequenti mane hora decima secunda cum dimidio. Quo facto Pontifex surgens solemiter omnibus benedixit dicens: Sit nomen Domini benedictum etc. *eaque, de more, data, omnes devote discederunt.*

Die igitur vigesima sexta ejusdem mensis, et anni, hora jam precedenti die indicta, omnibus convenientibus, Illustriss. et Reverendiss. Dominus accessit ad Ecclesiam, ubi in propria Sede paratus assistentiam in

pontificalibus præbuit Missæ solemniter cantatæ per unum ex Reverendiss. Canonicis Cathedralis Ecclesiæ, qua expleta, adstantibus jam Diacono, et Subdiacono in suo ordine paratis, venit ad Faldistorium ante medium Altaris dispositum; ibique genuflexus, deposita Mitra, inchoavit, schola Cantorum prosequente, Antiph. Propitius esto etc. *Ea finita, ac incepto Psalmo* 78. Deus venerunt gentes etc. *reassumpta Mitra, reversus est ad Thronum ubi sedit usque ad finem Psalmi. Postea, Mitra deposita, ac surgens, versus Altare stans, dixit Orationem*: Nostrorum tibi Domine etc. *cum aliis duabus sequentibus.*

Iterum sedens cum Mitra, imposito incenso in thuribulo, cæterisque ad Cæremonialis Episcoporum præscriptum, per Diaconum expletis, ab eodem cantatum fuit Evangelium: Designavit Dominus et alios septuaginta duos etc. *quo finito, Illustriss. et Reverendiss. Dominus librum osculavit per manum Subdiaconi, ac incensatus fuit. Dein, capite detecto genuflexus in plano Solii Altare versus, cæterisque in suo loco genuflectentibus, intonavit, Schola prosequente*, Veni Creator Spiritus etc. *Finito primo versu, assurgens, stetit usque ad finem Hymni, quo expleto, sedens cum Mitra, jussit legere non-*

nonnulla ex eis a Sacrosancto Tridentino Concilio de Sacramentis *definita. Denique suppliciter istando Reverendiss. Canonico Promotore, ac ipso Pontifice annuente, continuata fuit Synodalium Costitutionum publicatio usque ad integram secundam Sessionem. Ea peracta, indicta fuit Synodi continuatio, et conclusio pro subsequenti die* 28. *hora duodecima, prætermissa die vigesima septima ob Missam Pontificalem, primis Vesperis necnon in Pontificalibus præcedentibus, in eadem die in Ecclesia Sanctæ Restitutæ principalis Civitatis, ac Diæcesis Patronæ ab Illustriss. et Reverendiss. Domino celebrandam, ejusdem Sanctæ Tutelaris festo recurrente. Postremo data fuit benedictio ut heri.*

Supradicta die 28. *hora præfinita, omnibus convenientibus, Illustriss. et Reverendiss. Dominus accedens ad hanc suam Cathedralem Ecclesiam, iterum assistentiam in pontificalibus prestitit Missæ solemniter cantatæ; omnibusque dispositis ut in precedenti feria secunda, Mitra deposita ante Faldistorium, genuflexus incepit, schola Cantorum prosequente, Antiph.* Exaudi nos Domine etc. *Dicto primo versu Psalmi* 68. Salvum me fac Deus etc. *reversus ad Episcopalem sedem mansit in ea usque ad finem totius Psalmi. Tunc*

ite-

iterum deposita Mitra , surgens , et stans versus Altare , recitavit Orationem Ad te Domine etc. *cum duabus sequentibus ut in Pontificali Romano . Mox sedens accepta Mitra , omnia de more expleta sunt pro Evangelio per Diaconum cantandum* Dixit Jesus Discipulis suis . Si peccaverit in te etc. *Osculato libro, et incensato , statim genuflexo in plano sol ii intonavit.* Veni Creator Spiritus etc. *genuflexo manente usque ad finem primi versus. Finito hymno, omnesque in silentio sedentes , facta fuit allocutio a Reverendiss. Canonico hujusmet Cathedralis D. Antonio Jucci a prælaudato Illustriss. et Reverendiss. Domino ei commissa. Dein ad istantiam Synodi Promotoris , mandata fuit lectio tertiæ Sessionis a Pontifice , cujus decreta ei humiliter tradita fuerunt a Reverendiss. Pro-Vicario Generali , quod servatum nec non fuit in pubblicatione duarum præcedentium Sessionum .*

Pubblicatione peracta , non ad necessitatem , sed ad exuberantiam (etenim Cleri consensus , aut approbatio circa Synodales Costitutiones ex pluribus Decretis Sacræ Congregationis Concilii minime requiritur) dictum est: Placent ne Vobis Reverendissimi DD. Canonici hujus Cathedralis Ecclesiæ , Rev. Abates , Archypresbyteri , Recto-

Rectores, Curati, Ecclesiarum Collegiatarum Canonici, ac universa Synodus, quæ hactenus constituta sunt? *Omnibusque uno ore plaudentibus responsum fuit*: Placent.

Post hæc Reverendiss. Canonicus Promotor institit pro Synodi conclusione, ac dimissione; et publicato jam Decreto de Synodi observantia, alterum de ejus conclusione latum fuit.

Singuli deinde reverentiam, et obedientiam præstiterunt Illustriss. et Reverendiss. Domino in suo throno sedenti; qui postea, Mitra deposita, omissa exhortatione: Fratres dilectissimi etc. *quæ præcedenti die, juxta solitum, ab eo habita fuit inter Missarum solemnia in Ecclesia Sanctæ Restitutæ obedientiam ipsi præstantibus omnibus Parochis Civitatis et Diœcesis Soranæ, versus Altare stans, Orationem recitavit*: Nulla est Domine etc.

Post orationem prædictam accessit denuo Canonicus Promotor; et suppliciter institit apud Illustriss. et Reverendiss. Dominum, ut mandaret mihi infrascripto Synodi Notario publicum ac solemnem rogitum conficere de omnibus et singulis synodalibus actionibus, quo mandato humiliter excepto, ea qua decet reverentia et obsequio respondi: Promptus sum.

Prædictis omnibus rite absolutis, *Pontifex in sua sede stans intonavit hymnum* Te Deum etc. *Clero alternatim prosequente*; *dictisque* ℣℣. Benedicamus Patrem, et Filium etc. *adjecit Orationem* Deus cujus misericordiæ etc. *cum aliis Orationibus congruentibus. Benedictionem solemniter impertitus est*, *et hac ultima vice publicatæ fuerunt indulgentiæ quadraginda dierum. Dicto demum alta voce per Archydiaconum assistentem*, *ac stantem prope Episcopum* Recedamus in pace, *respondentibus omnibus* In nomine Christi. Amen *actio in integrum*, *Deo adjuvante*, *expleta est.*

Tunc Illustriss. et Reverendiss. Dominus pontificalibus depositis, *et Cappa iterum induta*, *reversus est ad Episcopalem aulam Capitulo et Clero comitantibus*, *ac cum eo simul devote gratulantibus de tanti operis felicissimo exitu*.

Raphael Beneficiatus Fortuna Pro-Cancellarius Episcopalis, *et Synodi Notarius.*

FINIS.